PRAXEOS MEDICÆ UNIVERSÆ PRÆCEPTA

AUCTORE

JOSEPHO FRANK

AUGUSTISSIMO IMPERATORI ET TOTIUS ROSSIAE AUTOCRATORI A CONSILIIS AULICIS, EQVITE ORD. ST. WLODIMIR IV. CLASS., THERAPIAE SPECIALIS ET CLINICES IN CAESAREA UNIVERSITATE VILNENSI PROFESSORE, AC SEMINARII MEDICI IMPERATORIS MUNIFICENTIA CONDITI PRAEFECTO, CONSILII MEDICI PETROPOLITANI, SOCIETATUM PHILANTHROPICAE PETROPOLITANAE, PHYSICO-MEDICAE MOSQUENSIS, MEDICORUM ET BENEFICORUM VILNENSIS, ACADEMIAE MEDICORUM VENETAE, SOCIETATIS AGRICULTURAE STUDIOSORUM FLORENTINAE, SCIENTIARUM ET ARTIUM ARGENTORATENSIS, ACADEMIAE MEDICAE, SOCIETATUM GALVANICAE ET MEDICAE PARISIN., R. JENNERIANAE, MEDICORUM ET NOSOCOMII A GUYO LONDINI DENOMINATAE, ORDINIS MEDICO-CHIRURGICORUM LUCCENSIS ETC. ETC. SODALI.

PARTIS PRIMAE VOLUMEN PRIMUM,

CONTINENS

PROLEGOMENA, DOCTRINAM DE FEBRIBUS ATQUE DE INFLAMMATIONIBUS GENERALEM.

EDITIO SECUNDA.

TAURINI

SUMPTIBUS CAJETANI BALBINI BIBLIOPOLAE

MDCCCXXI.

EXCUDEBANT CHIRIO ET MINA.

PRAEFATIO.

Therapiae specialis et artis clinices in Caesarea Universitate Vilnensi docendae munere fungens, discipulorum commodis consulere ac provvidere existimavi, si iis librum, quo veluti duce ad elementa praxeos medicae addiscenda uterentur, in manus traderem. Totum opus quatuor partibus constabit, et quaevis pars binis absolvetur voluminibus. Quod nunc in lucem prodit primae partis volumen prius, continet prolegomena, doctrinam de febribus, et de inflam-

mationibus generatim. Posterius morborum, qui in cute sedem posuere, indolem curationemque exponet. Secunda libri pars morbos sensuum, cerebri, medullae spinalis, nervorum, cordis vasorumque sanguinis circulationi inservientium, tracheae et pulmonum complectetur. In tertia de morbis oris, oesophagi, ventriculi, intestinorum, peritonaei reliquorumque viscerum, quae eo continentur, necnon vasorum lymphaticorum agam. Quarta denique doctrinam de morbis viarum urinalium, et organorum sexus enarrabit, subjuncto tractatu de syphilide et hydrophobia.

In totius hujus doctrinae praeceptis tradendis ita versabor, ut, quibuscumque hypothesibus neglectis, sola eaque potiora facta ad medicinam practicam spectantia, tum aliorum testimoniis firmata, tum propriae debita experientiae, in medium proferam.

Haud quidem ignoro, quam difficile sit, immo quam inutilis et omni successu prorsus cariturus labor, tirones praxeos medicae principiis imbuere velle, nisi certus in rebus exponendis ordo habeatur. Verum aliud est rerum tractandarum *ordinem* tanquam viam, et rationem scientiae tradendae idoneam sequi, aliud ipsam scientiam in angustos *systematis* limites cogere. Hîc enim alumnus systema facile pro ipsa habet scientia, eamque ad unguem tenere se arbitratur quo magis verbis, et formulis systemati propriis blaterandi facultate pollet. Rerum autem in tradenda disciplina certus ordo eo maxime retinetur consilio, ut juvenilis ingenii viribus infirmis adminicula et subsidia parentur. Caeterum scientiae maturitatem, et constantiam virilem tum demum assecutum se esse fatebitur adolescens, cum, remoto tandem scholae magisterio, morbos proprio

marte aggredi, atque quid humeri valeant, quid ferre recusent, ipse experiri ausus fuerit.

Longa quidem via est, quam ingrediendam nobis proponimus, eademque naturali mentis juvenilis impatientiae, et quodammodo vel docentis gloriolae parum accommodata. Attamen nulla tutior nec magis videtur idonea ad compescendum juvenum aestum gravissimae artis exercitationi inimicum, ad famam modicam quidem, sed stabilem magistro conciliandam, et, quod maxime interest, ad informandos cives Reipublicae utiles, medicos scilicet non arrogantia et garrulitate intolerabiles, orbemque litterarum quotannis indigestis libris inundantes, sed scientia graves et modestiae laude conspicuos.

Quod si factorum, quae medicorum principum ex operibus diligenter colligere et enotare studui, nonnulla forte

desiderentur, Lectorem benevolum rogatum velim, ut culpam tum in ardui conatus naturam, tum in tempora nostra, litterarum commercio, mihique in remota Europae parte scribenti adversa, tum in multiplices, quibus distineor, occupationes conferat. In iis, quae propria experientia suppeditaverit, majori me opportunitate usum esse fateor. Cum enim in magnis tum Italiae, tum Germaniae nosocomiis praxin exercuerim, atque plurimarum aliarum regionum publica hospitia frequentaverim, ne de praxi privata inter varias gentes exercita loquar, pauci sane in Europa extiterint morbi, quos, spatio duorum de viginti annorum, quo artem exercui, plus semel observandi data mihi copia haud fuisset. Licuit igitur morborum descriptiones rationemque medendi ex ipsa rerum natura promere. Ordinem autem, quo in doctrina tra-

denda usus sum, propterea maxime probavi, quod morbi in uno eodemque organo contingentes, ita a se invicem minime sejunguntur, atque tot fere morborum variarum corporis partium monographiae exhibentur, quot libri numerantur capita. Caeterum nec eum absolutum esse, ingenue fateor.

At opus hoc aliorum compendiorum ad instar angustioribus limitibus circumscribi debuisse, non nemini forte videbitur. Sed longe aliter necessitas imperavit. Brevitatis enim quamvis studiosus, frustra tamen laborare me intellexi, si innumerabilia praecepta practica, una cum cautelis in artis exercitio tam necessariis, breviori modo exponere vellem. Praeterea non elementa solum in discipulorum usum, sed librum, plurium utilitati et commodis inserviturum, exarare volui.—Vel sic tamen nihil impedit,

quominus quatuor eae, ex quibus totum opus constabit, partes duorum annorum decursu, discipulis explicentur. Atqui facile mihi largietur quisque docendi artis paulo peritior, quo breviora sint doctrinarum compendia, praesertim si notitiis destituantur litterariis, eo plus temporis eorum enarrationi impendendum esse.

Quod si cuipiam res, libro hoc expositae, ita plene pertractatae videantur, ut interpreti parum, aut nihil relinquatur, quod addat vel illustret; grato quidem animo tale ferrem judicium, sed nihilominus confiterer, quicumque ita censeat, videri mihi praxeos medicae tradendae muneri et officio minus idoneum. Quaevis etenim libri hujus pagina, ne quodlibet dicam verbum, medico in arte egregie versato, et diuturna experientia edocto, amplam multa tum exornandi, tum perficiendi opportunitatem suppeditabit.

Nec forsan deerunt, qui in praeceptis tradendis desiderent severiorem scientiae methodum, quam systematum conditores tantopere iactant, utpote qui ex uno alterove principio, morborum quotquot sunt origines, medendique rationes deducunt. Enimvero quum regularum generalium numerus in re medica exiguus sit, harum autem ipsarum nulla reperiatur, cuius vis copiosissimis gravissimisque exceptionibus non infringatur, per se patet, rationum perpetuitatem illam adeo iactatam, libros quidem mirifice ornare, sed aegrotorum vitae saepissime nequaquam parcere. Et re quidem vera, quot orci faucibus victimas eos mactasse putaveris, qui systematis cujusdam regulis generalibus prorsus addicti, iisdem cum manifesto aegrotantium damno tenaciter adhaererent, sive quod inconstantiae probrum effugere vellent, sive quod existimarent, haud confici posse meliora.

Nemo denique librum hunc evolvens nova, atque speciosa vocabula expectet. Quamquam enim haud ignoro, nihil magis disciplinarum incrementis conducere, quam vocabula rebus apprime accommodata, tamen cum ea in medicina adhuc desiderentur, nec, nisi me omnia fallant, ob rerum reconditam naturam sperare liceat, fore ut unquam inveniantur, vocabulis receptis, quaeque hypothesium vestigia minus designent, uti malui. Praeclare hinc BAGLIVIUS, vir summus: « Hi autem (aegri), inquit, nil sua interesse putant, si morborum effectus, et corporis animati principia rudioribus antiquorum vocabulis appellaveris; dummodo veras curandi rationes perfecte noveris, verbaque tua transeant in facta, atque eventus respondeat promissis (*)».

In pharmacorum solum denomina-

(*) Praxis medica, Cap. I.

tione ab antiquo tramite deflectere utile duxi, secutus potissimum egregiam Pharmacopaeam Castrensem Ruthenam; vel hîc novis vocabulis prisca ita subjunxi, ut nulla inde Lectori difficultas oriri possit.

Magna autem me tenuit difficultas in limitibus inter morbos, qui longo usu moreque recepto ad praxeos medicae ambitum referuntur, eosque, qui ad praxin chirurgicam propius spectant, rite definiendis. Re dubia, medicinae confinia transilire, quam coarctare malui, aliis, qui de chirurgia scribunt, eodem jure utendi veniam libenter concedens. Satius enim esse video, si disciplinarum harum fines quasi confluant, quam si vacui quid inter eos relinquatur.

Graviori etiam difficultate premebar, quoties accurate determinandum erat, quaenam phaenomena morbosa morbi singularis, quaenam, nonnisi

symptomatum morbi instar, tractari debeant. Constat enim, permultas affectiones morbosas, quae vulgo pro morborum formis habentur, re vera morbi primarii tantum symptomata exhibere. Qua molestia ita me expedire conatus sum, ut morborum analysi magis quam synthesi operam darem. Unde ubique fere symptomata potiora aeque ac si morbum singularem constituerent, non neglecto tamen eorum cum morbis, e quibus oriuntur, nexu, exposita invenies. Scrib. Vilnae.

PROLEGOMENA.

PROLEGOMENA.

§. I.

Doctrinae definitio.

1. *Praxeos medicae doctrina* morbos generis humani cognoscere, unum ab altero distinguere, eos avertere, et curare docet.

Doctrinae utilitas.

2. Scientia hujusmodi, quamvis limites suos in ipsis immutabilibus naturae legibus habeat, rei publicae tamen, quidquid dictitent ejus obtrectatores, maxime utilis, et, ut divina nuncupetur, vere digna.

Doctrinae difficultas.

3. Vita quidem brevis, ars longa! Ne hoc vero effatum tirones vos terreat! Ordine enim, et selectu in rebus addiscendis, *artem* breviorem, tempus vero omne quantum fieri licet, studio et exercitio illius impendendo, vestram pro scientia *vitam* longiorem reddere poteritis.

Doctrinae historia.

4. Sed antequam ad ipsa praxeos medicae elementa perscrutanda deveniatur, praecipuas hujus scientiae vicissitudines enarrare, maxime vero de auctoribus nonnulla summatim dicere, quorum operum in decursu harum praelectionum saepe mentio fiet, utile duco. Formalem autem historiae medicae doctrinam, studium praxeos medicae elementare potius sequi, quam praecedere debere, existimo. Ad doctrinam hujusmodi vel absoluto curriculo academico magis magisque assequendam sacra sunto opera clarissimorum Le-Clerc (1), Freind (2), Haller (3), Eloy (4), Blumenbach (5), Ackermann (6), Hecker (7), Metzger (8), Black (9),

(1) *Histoire de la médecine. Tom.* I. II. *Amsterd.* 1723. 4.

(2) *Histoire de la médecine, depuis Galien jusqu'au commencement du seizième siècle. Trad. par Et. Coulet. Leid.* 1727. 4.

(3) Bibliotheca medicinae practicae T. I -- IV. Bern. 1776 -- 1788. 4.

(4) *Dictionnaire historique de la médecine ancienne et moderne T.* I -- IV. *Mons.* 1778. 4.

(5) Historia medicinae literaria. Goett. 1787. 8.

(6) Institutiones historiae medicinae, Norimb. 1792. 8.

(7) Praxeos medicinae omnis aevi fata tabulis exposuit. Erf. 1790. 4 et *Allgem. Geschichte der Natur- und Arzneykunde. Leipz.* 793. 8. *Th.* I.

(8) *Skizze einer pragmatischen Literargeschichte der Medizin. Konigsberg* 1792. 8. et *Zusatze und Verbesser. z. s. Skizze ein. pragm. Literargesch. d. Med. Konigsb.* 796. 8.

(9) *An histor. sketch of medicine and surgery etc. by* W.

Cabanis (10), Scuderi (11), praesertim vero opus doctissimi atque patriae suae decoris cl. Sprengel (12).

§. II.

Medicinae origo.

1. Prima remediorum cognitio procul dubio, non ratiocinio, sed casui, experientiae, vel forsan et instinctui, debetur. Hinc medicinae pars, quae praxim respicit, theoria certe antiquior.

Medicina Ægypti et Graeciae.

2. Medicinam, ut doctrinam, jam Ægyptii, circiter MM annos ante aer. chr., excoluisse videntur. Tardius ad Graeciam ea migravit. Ambabus in regionibus primum sacerdotes hanc artem exercuere. Nec viri bello fortes, nec ipsi reges exercitium illius spreverunt. In animi grati significationem templa iis erecta sunt. A sacerdotibus medicina sensim sensimque ad philosophos, seu potius ad sophistas transiit, qui

Black *Lond.* 782. 8. Vers. germ. *Entwurf einer Geschichte der Arzneywissenschaft und Wundarzneykunst, A. d. E. von* Scherf, *Lemgo* 1789. 8.

(10) *Coup d'oeil sur les révolutions et sur la réforme de la médecine. Paris An.* XII. 8.

(11) *Introduzione alla storia della medicina antica e moderna. Napoli* 1794. 8.

(12) *Versuch einer pragmatischen Geschichte der Heilkunde Halle* 1792. etc. *Th.* I -- V. 8.

eam gymnasticae, sophismatibus caeteris, meditationibus, ideisque mysticis adjunxerunt.

Hippocrates.

3. Sophistarum e manibus eam vir summus HIPPOCRATES, ex insula Coo e stirpe Asclepiadarum, anno CDLVI ante aer. chr., quo tempore scientiae et artes in Graecia maxime florebant; ortus, liberavit. Optimo sane jure HIPPOCRATES pro fundatore medicinae habetur. Verum, ut rectum de divi hujus senis doctrina judicium feratur, opera ejus genuina a falsis distinguere oportet. Distinguuntur autem inter se peculiaribus characteribus non difficulter eruendis (13). HIPPOCRATES in phaenomenis morbosis accuratissime delineandis totus fuit. Similiter caussas morborum praedisponentes, et excitantes, praecipue vero quatenus ex positione locorum, natura aëris, aquarum etc. pullulant, indagavit. Vix autem ausus est caussas proximas morborum, utpote plerumque profundius latentes, quam quae oculo humano cerni queant, determinare. Eo accuratius signa bona, sive mala in morbis praesagientia, tradidit, exitumque morborum in aegrotis, quos curaverat, qualiscumque demum is fuerit, candide exposuit. In morborum curatione caute admodum, et pru-

(13) SPRENGEL's *Apologie des Hippocrates. Th.* I. S. 71 -- 76. *Pragm. Geschichte* ejusdem Auctoris. *Th.* I. *S.* 226.

denter incedebat multum regimini diaetetico tribuens, nunquam aegros farragine remediorum obruens, interdum forsan plus aequo segnis, sed tamen a remediis activis non omnino abhorrens (14). Obiit tantus vir anno CCCLXVI a. aer. chr.

Dogmatici.

4. Defuncto HIPPOCRATE, sophistae iterum, licet modestius, caput extulerunt. Quamvis enim *schola dogmatica* philosophiae PLATONIS, et STOAE innixa HIPPOCRATIS principia jactaverit, ab iis tamen toto coelo aberat. Vel in ipsa enim celeberrima schola Alexandriae florente, medicina a dialectica peripateticorum inquinabatur.

Empirici.

5. Malo huic *secta* quidem *empiricorum*, haud omnino spernenda (15), annum CCL inter et CCLXXX a. aer. chr. Romae vigens, frenum injecit, medicinam intra confinia experientiae revocando. At continuae disceptationes empiricos inter, et dogmaticos progressui artis non solum obstiterunt, sed ipsius artis dignitatem denigrarunt.

(14) SPRENGEL l. c. *S.* 262 -- 265.
(15) G. G. RICHTER de veterum Empiricorum ingenuitate. Goett. 1741. 4.

Asclepiades.

6. Ex hujusmodi abjectione medicinam liberavit Asclepiades, qui seculo primo a. aer. chr. medicinam Romae splendide exercuit. Mediam viam inter dogmaticos et empiricos legens, Asclepiades novam medicinae doctrinam, duce philosophia Epicuri, excogitavit.

§. III.

Methodici.

1. Doctrina Asclepiadis *Themisoni* ad systema *medicinae methodicae* condendum auxilio fuit, quo morborum originem a solidorum stricta, laxa, sive mixta conditione explicare conatur. Asseclae memorabilis hujus systematis Caelius Aurelianus (16), et quodammodo etiam Cornelius Celsus (17) fuere.

Pneumatici.

2. Verum non omnes, qui eodem aevo vixerunt, sectae methodicae adhaerebant. Nova enim secta ex applicatione philosophiae Platonis, et Aristotelis orta est, quae, quum phae-

(16) De morbis acutis et chronicis libri VIII. Amst. 709. 4. 722. 4. Vid. Stephani op. cit.

(17) De medicina libri VIII. Ex fide vetust. libror. recensuit -- Car. Chr. Krause. Lips. 1766. 8. -- Ex edit. Leonh. Targae. Bipont. 786. 8. Vol. II.

nomena corporis humani ex principio aëriformi explicaret, *pneumatica* dicta est.

Eclectici.

3. Non defuere vero inter pneumaticos qui, haud neglecta Hippocratis doctrina, et ex reliquis systematibus principia sua depromerent (*Eclectici*). Inter hos dignissimi sunt, qui commemorentur, Aretaeus ex Cappadocia (18), et Claudius Galenus (19), vir doctissimus et in rebus anatomicis versatissimus. Galeni doctrina per multa secula in scholis non sine veneratione tradita fuit.

Theosophi.

4. Nihilominus Galeno adhuc vivente, magiae atque theosophiae principia ex Persia, Chaldaea, Arabia et Aegypto Romam advecta imperium in medicinam exercuere (20).

Schola Alexandrina.

5. Hoc tamen non impedivit, quominus e schola inprimis Alexandrina medici doctrina eximii prodirent. Ex his Oribasius (21) Imperatoris Juliani archiater, qui circa seculi quinti dimi-

(18) De causs. et sign. acut. et diurn. morb. libr. IV. et de curat. acut. et diurn. morb. libr. IV. graec. et lat. Lugd. B. 731. f.

(19) Opera omnia, ad fid. complur. et perquam vetust. exempl. emendata etc. Bas. 538. f. Vol. I -- V.

(20) Sprengels *Geschcihte* etc. Th. II. S. 149.

(21) Collectorum medicinalium quae extant. Paris 555 8. vid. H. Stephani art. med. princip.

dium floruit: Aetius (22), seculo sequenti in aula Constantinopolitana archiater: Alexander Trallianus (23), et Paulus Aegineta (24) in arte obstetricia et chirurgica versatissimus, qui initio seculi septimi Alexandriae vixit.

Secula barbara.

6. Eodem hoc seculo ad finem vergente omnium scientiarum lumina in Oriente apud Christianos defecerunt, quemadmodum vel ab initio seculi quinti ob incursiones barbararum gentium in Occidente perierant. Usque ad seculum duodecimum medicina, aliarum scientiarum instar, in monachorum coenobiis sepulta delituit.

§. IV.

Arabes.

1. Seculo duodecimo ex Hispania nova medicinae lux affulsit ob Saracenorum incursiones. Inter ipsos Arabes, dum seculo septimo Ægyptum expugnarent, medicina scientiae formam acquisivit. Ea vero praecipue seculo nono inter eos florere coepit, quo tempore medici operi-

(22) Librorum medicinalium XVI, in quibus cuncta, quae ad art. cur. spectant, sunt congesta. Ven. 534. f. Vid. Stephani op. cit.

(23) Libri Medicinales XV. gr. et lat. Bas. 556 8.

(24) De re medica libri VII. Graec. Bas. 538. f. Latin. Lugd. 589. f. Graec. et lat. Bas. 556. f.

bus Graecorum scriptorum, et praesertim Aristotelis evolvendis insudabant. Celebriores Graecorum interpretes apud Arabes fuere Honain Ebn Ishak, Iohiah Ebn Masawaih; ambo Bagdadi vivebant, florentissima tunc temporis scientiarum sede. De medicina vero bene operibus propriis meruerunt Rhazes (25), Avicenna (26), Avenzoar (27), et Abulkasem (28), Cordubae natus. Haec scilicet urbs Arabibus Hispaniam inhabitantibus, scientiarum veluti emporium fuit. Medici arabes simul poëticae, philosophiae et historiographiae operam navabant; in pharmacia et semiotice excolenda excelluerunt. Non idem de anatome dicendum. Seculo decimo tertio scientiae inter Saracenos Hispanos coli desierunt.

Schola Salernitana.

2. Monachi in Hispania literis studentes Aristotelis doctrinam, saltem quae ab Arabibus docebatur, seculo duodecimo in Galliam et Italiam intuleruut. Ex his, qui ordini St. Bene-

(25) Opera: cont. libr. X. ad Almansorem; libr. divisionum; libr. de junctis aegritudinibus pueror.; libr. de secretis etc. Mediol 481. f.

(26) Opera, c explanatione Jacobi de partibus. Arab. et latin. Rom. 593. f. Latin. Ven. 608. f.

(27) Taisir i. e. rectificationis et regiminis. Venet. 553. f.

(28) Compendium artis med. Aug. Vind. 519. f. -- Method. medendi libr. III. Basil. 541. f. -- De chirurgia, arab. et lat. Curav. Jo. Channing. Oxon. 778. Vol. II.

dicti nomen dederant, quique in montis Cassini monasterio prope *Salernum* commorabantur, magnam celebritatem in rebus medicis, inprimis seculo decimo tertio, sibi conciliarunt. Hoc ipso tempore lepra bellis sacris advecta Europam vastabat.

Seculum XIII.

3. Interea tamen plurimae doctrinarum universitates per Galliam et Italiam hoc seculo constitutae fuerunt. In Anglia ROGERIUS BACO non parum ad praeconceptas opiniones eradicandas est operatus. At medicina nil aliud quam sophismatum ex astrologia utplurimum petitorum permixtionem exhibebat; pauci enim meliora docuerunt, inter quos non omittendi THADDAEUS FLORENTINUS (29), et JOAN. DE S. AMAND (30). Verum chirurgia inter Italos praecipue inclarescebat.

Seculum XIV.

4. Etsi seculo decimo quarto, quo pestis adversus omne genus hominum per Europam grassabatur, scientiarum lumen, adjuvantibus praecipue DUNS Scoto et PETRARCA, diffunderetur, medicina tamen nec hilum profecit; adhuc enim astrologiae tyrannidi subjiciebatur, ut ex ope-

(29) Professor Bononiae inde ab anno 1260. scripsit *expositiones in Hippocratem et Joannitium.* Venet. 1527. fol.

(30) Expositio super antidotarium Nicolai. Venet. 1562. fol.

ribus ARNOLDI BACHUONE DE VILLANOVA (31) eruitur.

Seculum XV.

5. Seculo decimo quinto studium graecae linguae, operum genuinorum ARISTOTELIS evolutio, et instauratio philosophiae platonicae Florentiae praesertim sub splendidissimis Principibus *de Medicis*, scientiarum progressibus multum profuerunt. Nil vero magis ad hunc scopum contulit, quam typographicae artis inventum. Medici hoc seculo tum studio graecarum litterarum, tum prudentia et sagacitate praeclari, sunt ANTONIUS BENIVIENI (32) Florentinus: ALEXANDER BENEDETTI (33) Lombardus: NIC. LEONICENUS (34) Vicentinus; THOM. LINACER Anglus, insignes Hippocraticae doctrinae instauratores. Hoc ipsum seculum, supervenientium nonnullorum morborum caussa, ex. gr. febris sudatoriae anglicae, scorbuti, plicae polonicae, et luis venereae, medicorum attentionem ad se revocare maxime debet.

(31) Op. cum annotation. NIC. TAURELLII ex edit. Joach. BAUDISII. Basil. 1585. fol.

(32) De abditis morborum caussis. Basil. 1529. 8.

(33) Opera omnia. Basil. 1549. fol.

(34) De PLINII et plurium aliorum medicorum in medicina erroribus liber. Ferrar. 1509. 4.

§. V.

Scholae Hippocraticae seculi XVI, et init. seq.

1. Seculo decimo sexto et initio sequentis, scientiae, quae praeteritis seculis potissimum intra Galliae et Italiae limites floruerant, ad Germaniam et Angliam transierunt. Innumeri Hippocratis interpretes hoc seculum illustrarunt, inter quos Joan. Winther ab Andernach (35), Ludovicus Duret (36), Jac. Houllier (37) ex Delphinatu, Manardus (38), Hieronymus Mercurialis (39) ex Foro Julii, Joan. Bapt. Montanus (40), professor Patavinus, et celeb. Antonius Foes (41) Rivodurensis.

Medici, qui seculo decimo sexto, et initio sequentis scripserunt, non solum in Hippocratis operibus interpretandis versati sunt, sed et novis, propriisque observationibus medicinam lo-

(35) De medicina veteri et nova libr. II. Bas. 1571. fol. Vol. II.

(36) Interpretationes et enarrationes in coacas praenotiones magni Hippocratis. Lugd. 1784. fol.

(37) Epistol. medicinal. libri XX. Basil. 1549. fol.

(38) Censura et dispositio operum Hippocratis Venet. 1583 4.

(39) Commentarii in Aphor. Hipp. Genev. 1620. 8.

(40) Idea doctrinae hippocraticae de gener. pituitae: de melanchol. humore: de coctione et praepar. humor. etc. ed. J. Cratone. Basil. 1555. 8.

(41) Oeconomia Hippocratis alphabeti serie disposita. Genev. 1662. f.

cupletarunt; hinc non parum iis debemus circa morbos, si non novos, saltem a nemine antea descriptos, e. c. febrim peticularem, raphaniam, tussim convulsivam. Ex his memoratu digni occurrunt JOAN. FERNELIUS (42), Ambianus: NICOLAUS MASSA (43) Venetus: AMATUS LUSITANUS (44) professor Ferrariae: JOH. CRATO a KRAFTHEIM (45), Vratislaviensis: VICT. TRINCAVELLA (46) professor Patavinus: REMBERT DODOENS (47), JOAN. SCHENK (48), FEL. PLATER (49) Helvetus, PETRUS FOREST (50) Batavus: PETRUS SALIUS DIVERSUS (51), qui Faën-

(42) Universa medicina libr. XXIII. studio GUIL. PLANTII, Cenomani. Frft. 1574. 8. Vol. II.

(43) Epist. medicinal. Venet. 1558. 4. Vol. II.

(44) Curat. medicinalium Cent. VII. Venet. 1566. fol.

(45) Consilior. et epistol. medic. *Cratonis* ex Pt. *Monavii* collectan. collector. libr. I. ed. Laur. SCHOLZIUS Francf. 1591. 8. Lib. II. et III. ib. 592. Libr. IV. et V. 593. Libr. IV. et VII. Hanov. 611. Collectae prodiere Francf. 654. 8.

(46) Consilia medica post edit. Ven. et Lugd. accessione CXXVIII consiliorum locupletata etc. Basil. 1587. fol.

(47) Observ. medicinalium exempla rara. Colon. 581. 8.

(48) Observationum medicar. omnium novar. admirab. et monstros. To. VII. ed. Jo. GEORGIO filio. Francof. 1600. f.

(49) Observationum in hominis affectib. lib. III. Basil. 1614 8.

(50) Observat. et curat. medic. libr. medicin. libr. XXX. Francf. 1602 -- 7. fol.

(51) De febre pestilenti tractat. et cur. quorund. particul. morbor., quor. cur. ab ordin. pratic. non habetur etc. Bonon. 584. 4.

tiae, et MARCELLUS DONATUS (52), qui Mantuae medicinam exercuit.

Denique non solum practicas observationes collegerunt, sed et semioticam excoluerunt PROSPER ALPINUS (53) prope Vicentiam natus, et JODOCUS LOMMIUS (54) e Geldria oriundus. Omnem porro praxin medicam compendiis suis complexi sunt JOAN. RIOLAN (55) pater, et JACOB DU BOIS (56), professores Parisienses, NICOLAUS PISO (57), FELIX PLATER (58), et LUDOVICUS SETTALA (59) Mediolanensis.

Anatome.

2. De anatome, quae seculo decimo sexto opera praesertim VESALII, EUSTACHII, FALOPPII, BAUHINI, FABRICII *ex aquis taurinis* magis perficiebatur, utpote de alieno quodammodo argumento, non loquar.

(52) De historia medica libri VI. opus varia lectione refertum. Mant. 586. 4. Cum GREG. HORSTII not. et addito libro VII. Frft. 613. 8.

(53) De presag. vita et morte Lib. VII. Patav. 601. 4. et c. praef. BOERHAAVII et ex emend. GAUBII. Lugd. B. 1733. 4.

(54) Observ. medicinalium libr. III. Amst. 1715. 8.

(55) Universae medicinae compend. Paris 1598. 8.

(56) Opera omnia med. jam demum in VI. part. digesta etc. stud. REN. MOREAU. Colon. Allobr. 630. f.

(57) De cognoscendis et curandis praecipue internis c. h. morbis libr. III. Francof. 1585. fol. cum praef. H. BOERHAAVE. L. B. 1736. 4. Vol. II.

(58) Praxis medica. Bas. 1625. 4.

(59) Animadversionum et caut. medicar. libr. VII. Dordr. 1650. 8. Patav. 659. 8.

Conciliatores.

3. Non pauci inter medicos hujus aevi doctrinam Graecorum, et Arabum inter se conciliare sategerunt, uti Jo. Bapt. Sylvaticus (60) professor Ticini, et Michael Serveto (61) Hispanus. At cum fieri hoc semper non posset, inde innumerae disceptationes ortae sunt, inter quas eam non praeteribo de loco, quo vena in morbis secanda sit, utrum scilicet Graecorum more, suadente Petro Brissot (62), in viciniis loci affecti: an Arabum, secundum Victorii Trincavelli (63) consilia, in loco remoto, ut nempe revulsio fiat. Acerrime Galenum aggressi sunt Joan. Argentier (64) Pedemontanus, Laurent. Joubert (65), et Wilhel. Rondelet (66) professores Montispessulani, nec non Andreas Dudith ab Horkowicz Hungarus.

(60) Controversiae med. centum. Francof. 1601. fol.
(61) Syruporum universa ratio ad Galeni censur. dilig. exposita. Ven. 1545. 8.
(62) Apologetica disceptatio de vena secanda in pleuritide. Basil. 1529. 8.
(63) De vena secanda in pleuritide medica ratio. Ven. 539. 8. et col. 985. ad calc. *consilior. med.* Basil. 1587. f.
(64) Opera nunquam excusa. Venet. 1592. f.
(65) Paradoxorum decad. II. Lugd. 566. 8.
(66) Opera omnia medica, ab infinitis mendis repurgata stud. J. Croqueri. Genev. 620. 8.

§. VI.

Paracelsus.

1. Verum ne credamus, medicos omnes hujus aevi viam observationis inivisse, et commentationibus valedixisse; plurimi enim, ut seculi mos ferebat, astrologiae, magiae, alchymiae adhaerebant, ac PARACELSO (67) Helveto, viro acris quidem ingenii, ast omni eruditione destituto, et Graecorum detrectatore, viam parasse videntur. Vix enim aliud quid doctrina PARACELSI exhibet, quam ingenii humani ob memoratas caussas a recto tramite aberrationes. Interea huic doctrinae multi se tradiderunt praesertim inter Germanos. Vehementer autem oppugnata fuit a THOM. ERASTO (68) Helveto.

Medium et finis seculi XVII.

2. Seculi decimi septimi medium, finemque versus, quo tempore non paucae doctrinarum universitates, academiae et societates litterariae mirum in modum floruerunt, anatome necnon physiologia magnis inventis (circulatio quippe sanguinis et vasa lymphatica reperta sunt) ex-

(67) Opera omnia medico-chirurgica. Cura Jo. HUSERI. Basil. 1689. 4. Voll. X.

(68) Disputationum de medicina nova Phil. Paracelsi Part. IV. Basil. 1572. 73. 4.

ornabantur, et PARACELSI doctrina ab erroribus, quoad fieri licebat, purgabatur. Praecipue eam cum praeceptis Graecorum componere conati sunt ANDREAS LIBAVIUS (69), DANIEL SENNERT (70), RAIMUNDUS MINDERER (71), ADRIANUS MYNSICHT (72), LAZARUS LA RIVIERE (73) etc.

Van Helmont.

3. Quo tempore praelaudati viri in medicina expurganda incumbebant, JOA. BAPT. VAN HELMONT (74), vir quidem eruditione insignis, sed imaginationis aestu non raro abreptus, super ruderibus doctrinae PARACELSI novum medicinae systema struxit, sanitatis aeque ac aegritudinis phaenomena ex spiritu quodam occulto, *archeo* nuncupato, nunc propitio, nunc adverso, derivans.

Jatro-chemici.

4. Ex HELMONTII doctrina, simulque in auxilium philosophia CARTESII petita FRANCISCUS SYL-

(69) Oeconomia animalis in transactiones divisa. Amst. 1741.

(70) Practicae medicinae libri IV. Viteb. 1623 -- 35. 4. Vol. 1 -- IV Opp. Lugd. 1676. fol. Vol. IV.

(71) Medicina militaris, s. lib. castrensis euporista -- continens Aug. Vind. 1621. 8.

(72) Thesaurus et armamentarium medico-chimicum. Hamb. 1631. 4.

(73) Praxis medica cum theoria ed. XI. Hag. Com. 1658. 8. Observationes insignes. Cent. tres. Hag. Com. 1656. 8.

(74) Opera omnia, edid. fil. FRC. MERC. VAN. HELMONT. Amst. 1652. 4.

vius de le Bois (75) novum medicinae systema condidit, in quo morborum origines ab effervescentia salium variorum, in humoribus corporis humani praesentium, et fermento morboso inde nato, derivantur. Huic jatro-chemico systemati curam morborum in expellendo fermento per remedia sic dicta alexipharmaca quaerenti, adhaeserunt Thomas Willis (76), Raimond. Vieussens (77), Jo. Jac. Waldschmidt (78), Georg. Wolfgang. Wedel (79), Michael Ettmuller (80) etc.; in illius falsitate demonstranda Robert Boyle (81), frustra tamen, adlaboravit.

§. VII.

Jatro-mathematici.

1. Ineunte seculo decimo octavo principia matheseos, mechanicae, et hydraulicae medicinae

(75) Opera medica. Edit. nova. Amst. 1659. 4. Ultraj. et Amst. 1695. 4

(76) Opera omnia. Genev. 1680. 4.

(77) Histoire des maladies internes. à Toulouse 1774. 4.

(78) Institutiones medicinae rationalis. Marb. 1688. 8. Opera omnia. Franc. 1695. 4. 1707. 8. Voll. II.

(79) Physiologia medica. Jen. 1679. 4. Pathologia medica Ibid. 1692. 4. etc.

(80) Opera omnia, stud. Mich. Ern. filii. Franc. ad Moen. 1728. fol. Vol. III. Cum mult. additam. Nic. Cyrilli. Neap. 1728. f. Vol. V.

(81) *Works of* Robert. Boyle. *Lond.* 1744. 4. Vid. *Septical. chymist.*

applicata fuere, quod praesertim immortali GALILEO (82) deberi videtur. Verum etsi extra dubitationis aleam positum sit, SANCTORIUM (83) fundamenta doctrinae jatro-mathematicae jecisse; attamen legitimus hujus systematis auctor JO. STEPH. BORELLI (84) censetur, opera praesertim BERNOULLI (85). Asseclae doctrinae jatro-mathematicae numerantur FRANCISCUS BOISSIER DE SAUVAGES (86), PITCARN (87), JACOB KEILL (88), LAUR. BELLINI (89), PHIL. HECQUET (90), et quodammodo etiam GEORG. CHEYNE (91).

Newtoni principia medicinae applicata.

2. Ipsa NEWTONI principia medicinae adap-

(82) SPRENGEL. Op. cit. 4. Th. s. 473.

(83) Ars de medicina statica section. aphorismor. VII. comprehensa. Venet. 1614. 12.

(84) De motu animalium. Pars I et II. L. B. 710. 4.

(85) De musculorum motu. Groning 697. 4.

(86) Nosologia methodica. Amst. 1768. 4. Castigav. emend. aux. icones etiam ad nat. pictas adjec. C. F. DANIEL. Lips. 1798. 8. To. V.

(87) Element. medicinae physico-mathemat. Neapol. 1721. 4. Ven. 740. 4.

(88) Tentamina medico-physica. Acc. med. statica. Brit. L. B. 725. 4.

(89) Opuscula de motu cordis, bilis etc. L. B. 714. 4. De struct. et usu ren. ut et de gust. organo L. B. 711. 4. De urin. et pulsib. etc. L. B. 717. 4.

(90) *Medecine naturelle, vue dans la pathologie vivante.* Ed. II. Par. 1738.

(91) *A new Theory of acute and slow continued fevers.* London 1722. 8.

tarunt Robinson (92), Yvo Gaukes (93), Perry (94), Clifton Wintrigham (95), Richard Mead (96); de quibus egregiis viris tamen notandum, eos principia matheseos potius ad phaenomena sanitatis, et aegritudinis explicanda, quam ad ipsos morbos curandos applicasse, quo scilicet in opere experientiam sequebantur.

Boerhaave.

3. Idem de celeberrimo Hermanno Boerhaavio dicito (97), qui in theoria quidem inter principia jatro-mathematica et jatro-chemica fluctuavit, in praxi vero naturam unice secutus est.

§. VIII.

Medicina dynamica Stahlii.

1. Ejusdem seculi decimi octavi initio, vir subtilissimi ingenii Wedelii discipulus, Ernestus Stahl (98) novam medicinae theoriam excogitavit. Hujus doctrinae cardo in hoc consistit, quod humores, et solida corpus humanum

(92) *New theory of physic. and diseases.* London 1725.

(93) Diss. de medicina ad certitudinem mathematicam evehenda. Amst. 1712. 8.

(94) *Treatise of Diseases.* Lond. 1741.

(95) Tract. de podagra. Eborac. 1714. 8.

(96) Opera medica. Ed. III. Gott. 1749. 8. Vol. II.

(97) Praelectiones academicae in proprias inst. rei medic. Edid. et not. adiec. Alb. Hallerus Gott. 1744. 8. Vol. VI.

(98) Theoria medica vera. Hal. 1737. 4.

constituentia, instrumenta tantum sistant, quibus principium corporis expers, anima scilicet, ad varia phaenomena tum secundae, tum adversae valetudinis excitanda, utitur. Anima morbis sanandis intenta est, medicus ministerium suum eidem praebet. Semina doctrinae STAHLII jam apud SWAMMERDAM (99), PERRAULT (100), MALEBRANCHE (1), et in ipso demum HELMONTII systemate inveniuntur. Ipsum autem STAHLII systema, aut saltem potiores ideas in eo contentas plus minusve amplexi sunt JO. SAM. CARL (2), JO. DAN. GOHL (3), MICH. ALBERTI (4), FRANC. NICHOLLS (5), VILL. PORTERFIELD (6), ROBERT WHYTT (7), JO. AUG. UNZER (8), CLAUD. NIC. LE CAT (9), BORDEU (10), LUD. DE LA CA-

(99) *Bibel der Natur.* 2. *B. S.* 844.

(100) *Oeuvres de physique et mathématique. Amst.* 1727. 4 T. 2 p. 530 -- 535.

(1) *Entretien sur la métaphysique et sur la religion. Rotterdam* 1688 p. 230 -- 242.

(2) Synopsis medicinae Stahlianae. Buding. 1724. 8.

(3) *Gedanken über den von Uorurthellen kranken Vesstand in der Materia von Nervengeistern. Halle* 1733. 8.

(4) Introductio in universam medicinam. Halae 1718.

(5) De anima medica praelectio. Londini 1748.

(6) *Medical essais and observations oj Edinb.* Vol. IV.

(7) *Works, publisted by his son. Edinb.* 768. 8.

(8) *Gedanken vom Einflufs der Secle in ihren Korper., Halle* 1746. 8.

(9) *Traité des sensations et des passions. Paris* 1767. 8.

(10) *Recherches sur le tissu muqueux et sur l'organe cellulaire. Paris* 1766. 12.

ZE (11), PAUL. JOS. BARTHEZ (12), ERN. PLATNER (13) etc.

Fr. Hoffmannus.

2. Alter WEDELII discipulus, eximius vir, FRIDERICUS HOFFMANN (14), proprium condidit systema vires duplicis generis in corpore humano statuens, materiales scilicet et spirituales, quarum primae legibus mechanicis generalibus, alterae legibus sui generis obtemperant. Morbi juxta HOFFMANNUM ex motus vel excessu (spasmo), vel defectu (atonia), nascuntur. Humorum vitia pro secundariis habentur. In morbis tractandis HOFFMANNUS magis experientiam, quam proprium systema secutus est, quod evidenter ex doctrina GLISSONII, et LEIBNITZII deprompserat. HOFFMANNI doctrinae addicti fuere, vel ad eam saltem accessere ANDR. EL BÜCHNER (15), ADAM NIETZKY (16), JOH. PET. EBERHARD (17), JO-

(11) Institutiones medicae, e novo medicinae conspectu. Paris 1754.

(12) *Nouveaux élémens de la science de l'homme. Montpeil.* 1778. 8.

(13) *Neue Anthropologie fur Aerzte und Weltuceise. Th. I, Leipzig* 1790. 8.

(14) Opera omnia Genev. 1740. fol. Vol. XI. Ibid. 761. f. Tom VI. c. supplem. Tom. II.

(15) Fundamenta pathologiae specialis. Hal. 1747. 8. fundamenta therapiae generalis 1747. 8.

(16) Elementa pathologiae universae. Hal. 1766. 8.

(17) Conspectus medicinae theoreticae et hygienes. Hal. 1757. 8.

SEPH REGA (18), BROWNE LANGRISH (19), JO. DE GORTER (20), JOH. ANT. PUSATI (21) etc.

Conciliatores.

3. Principia HOFFMANNI iis revera non valde absimilibus H. BOERHAAVII juncta fuere ab HEN. DAN. GAUBIO (22), JO. OSTERDYK SCHACHT (23), CHRIST. GOTT. LUDWIG (24), RUDOLPH AUGUSTIN VOGEL (25), JOA. THEOD. ELLER (26), GERARD. VAN SWIETEN (27), JOH. DOM. SANTORINI (28), ANTONIO FRACASSINI (29) etc.

(18) De sympathia, seu consensu partium corporis humani. Harlem 1721. 4.

(19) *A new essay on muscular motion, founded on experiments and Newtonian philosophy. Lond.* 1733.

(20) Exercitationes medicae quatuor. Amstel. 1737. 4.

(21) Raccolta d' opuscoli scientifici e filologici. T. I. p. 127 -- 246.

(22) Institutiones pathologiae medicinalis. Lugd. Batav. 1738. 8. Ed. alt. in Germania. Lips. 1781. 8.

(23) Institutiones medicinae practicae ad auditorum potissimum usus in epitomen redactae. Traj. ad Rhen. 1767. 8.

(24) Institutiones pathologicae. Lips. 1754. 8. Institutiones therapiae generalis. Lips. 771. 8.

(25) Academicae praelectiones de cognoscendis et curandis praecipuis corporis humanis adfectibus. Goett. 1772. 8.

(26) Observationes de cognoscendis et curandis morbis, praesertim acutis. Regiomont. 1762. 8.

(27) Commentaria in Hermanni Boerhaave aphorismos de cognoscendis et curandis morbis. Lugd. 1743 -- 1772. 4. Vol. V.

(28) Istruzione intorno alle febbri. Venez. 1734.

(29) Tractatus theoretico-practicus de febribus. Veron. 1730.

Cullen.

4. Detecta irritabilitate fibrae muscularis a summo HALLERO (30), medici magis magisque explicationibus ex chemia, et mechanica desumptis valedixerunt, morborumque phaenomena ex principiis tum musculis, tum nervis inhaerentibus explicare conati sunt. Ita ortum est *systema solidi vivi*, cujus fuit auctor WILH. CULLEN (31), licet cardines illius praecipuos ex doctrina Fr. HOFFMANNI et STAHLII arripuerit. Nemo interea proprio systemati in praxi exercenda minus adhaesit ipso CULLENIO, egregio sane medico practico, saepe fatente, se theoriam hujusmodi solum ad distinendum discipulorum ardens ingenium excogitasse (32). CULLENII principiis analoga ea sunt, quae in medium protulerunt JAC. GREGORY (33), SAMUEL MUSGRAVE (34), de la ROCHE (35), CHR. ELSNER (36), JO. ULRICH GOTTL.

(30) *Dissertations sur les parties irritables et sensibles des animaux, trad. par* M. TISSOT. *Lausanne* 755. 8.

(31) *First lines of the practice of physic. Edinb.* 1784. 8.

(32) *Additional memorial to the managers of the Royal Infirmary. By* JAMES GREGORY. Edinb. 1803. p. 182.

(33) Conspectus medicinae theoreticae, in usum academicum. Ed. III. 1788. 8. Vol. II.

(34) *Speculations and conjectures on the qualities of the nerves. Lond.* 1776.

(35) *Analyse des fonctions du système nerveux. Génève* 1778. 8.

(36) *Beytrage zur Fieberlehre. Konigsb.* 1782. 8.

SCHAFFER (37), JO. GARDINER (38), FRANC. VACCA BERLINGHIERI (39), licet CULLENII adversarius videatur, BRANDIS (40), aliique.

Brown.

5. Alterius systematis dynamici simplicissimi aeque ac ingeniosissimi JOANNES BROWN (41) auctor est, qui cum morbos omnes, exceptis localibus, ex virium vitalium excessu vel defectu derivasset, in eorum cura vires aut debilitandas, aut excitandas esse, nunquam vero quiescendum, docuit. In lucem ediderunt, perfeceruntque, et plus minusve etiam complexi sunt BRUNONIS systema, ne auctor hujus operis de semetipso loquatur (42), ROBERT JONES (43),

(37) *Versuche aus der theoretischen Arzneywissenschaft. Nürnb.* 1782 -- 84. 8. 2 Th.

(38) *Untersuchungen über die Natur thierischer Korper, und die Ursachen und Heilung der Krankheiten. Aus d. Engl. Leipz.* 1786. 8.

(39) Saggio intorno alle principali e più frequenti malattie del corpo umano 1787.

(40) *Versuch über die Lebenskraft. Hannover* 1797. 8.

(41) Elementa medicinae. Edinb. 1780. 8. Edit. II. Lond. 1787. 8 Vol. II. Cum praef. PT. MOSCATI. Mediol. 1792. 8. *The elements of medecine, transl. from the Latin with comments and illustrat. by the author. A new ed. rev. and correct. with a biogr. preface by* TH. BEDDOES. *Lond.* 795. 8. Vol. II.

(42) *Erlauterungen der Erregungstheorie. 2. Aufl. Heilbr.* 1803. Ratio instituti clinici Ticinensis Vienn. 1797. 8.

(43) *An inquiry into the state of medecine on the principles of inductive Philosophy. Edinb.* 1781. 8.

Ad. Melch. Weikard (44), Rasori (45), A Roschlaub (46), A. F. Marcus (47), van Hoven (48), Ern. Horn (49), aliique multi, quos citatos dijudicavere Heckerus (50), et Girtannerus (51). Acerrime illud oppugnarunt Vacca Berlinghieri (52), Hufeland (53), Hecrer (54), Girtanner (55) etc.

(44) *Entwurf einer einfachen Arzneykunst. Frankf.* 1795. 8. *Medicinisch praktisches Handbuch.* 3. *Theile. Heilbronn* 1796. 97. 8.

(45) Discorso preliminare al compendio della nuova dottrina di Brown etc. Pavia 1791.

(46) *Untersuchungen über die Pathogenie. Frankf.* 1798. 8. *Von dem Einflusse der brownschen Theorie in die praktische Heilkunde. Würzburg* 1798. 8.

(47) *Prüfung des brownschen Systems durch Erfahrungen am Krankenbette. Weimar* 1797 -- 99. 8. St. 1 -- 4.

(48) *Handbuch der praktischen Heilkunde. Heilbr.* 1807. 8.

(49) *Beytrage zur medicinischen Klinik. Braunschw.* 800. 8. 2. Thle.

(50) *Journal der Erfind. Theor. und Widersprüche in der Arzneywiss. St.* 1 -- 24. Goth. 1792 -- 797. 8.

(51) Libro paulo post citando. -- Praeter hos vid. in *Syst. Verzeichn aller in der med. Litter. von* 1796 -- 800. *herausgekomm. Schriften. Weim.* 807. 4. inde a No. 631 -- 690. valde copiosum Brunonianorum indicem.

(52) Meditazioni sull' uomo malato e sulla nuova dottrina di Brown. Pisa 1795.

(53) *Journal der prakt. Arzneykunde.* IV. B. S. 125. 318. V. B. S. 206. etc.

(54) Libro paulo ante citato. I. St. p. 28. II. St. p. 98. V. St. p. 109. IX. p. 1. seq. etc.

(55) *Ausführliche Darstellung des Brown'schen Systems, nebst einer vollstandigen Literatur und Kritik desselben. Gotting.* 1797. 8.

Darwin.

6. Nec tandem praetereunda est Erasmi Darwini doctrina (56), medium fere inter eas Brunonis et Stahlii tenens, hypothesibus vero ita repleta, ut nec auctori nec caeteris pro norma in praxi exercenda inservire potuerit. Nil addam de doctrina Cl. Rasori (57) parum apud exteros vulgata.

Novi jatro-chemici, phylosophi etc.

7. Ad finem seculi decimi octavi, instaurata chemia, nonnulli hanc scientiam medicinae iterum adaptarunt. Huc pertinent Cl. Beaumes (58), J. Rollo (59), Reich (60), Ackermann (61) etc. Alii chemiae instauratae principia cum doctrina de solido vivo componere sategerunt, veluti Cl. Beddoes (62), Girtan-

(56) *Zoonomia; or the Laws of organic Life. Lond.* 1796. 4. Vol. 2.

(57) Auctor doctrinae: *del contro-stimolo*, cui adhaeret et Cl. Borda, prof. Ticinensis.

(58) *Essai d'un systeme chimique de la science de l'homme. Paris* 1798.

(59) *Account of two cases of the diabetes mellitus. Sec. edit. Lond.* 1797. 8.

(60) *Vom Fieber und dessen Behandlung. Berlin* 1800. 8. *Erlauterung der Fieberlehre. Berl.* 806. 8. 2. Thle.

(1) De cognoscendis curandisque febribus epitome. Vol. I. Heidelb. 809. 8.

(62) *Observations on the nature and cure of calculus, sea-scurvy, consumtion catarrh and fever etc. Lond.* 793. 8. *A letter to* Erasm. Darwin *on a new method of treating pulmonary consumtion and other diseases hitherto found*

NER (63). Initio seculi decimi noni, saltem inter Germanos, tentamina principia philosophiae transcendentalis KANTII, FICHTII, SCHELLINGII, aliorumque, medicinae accommodandi inita sunt, opera praesertim Cl. TROXLER (64), MARCUS (65), WELANSKY (66), MALFATTI (67) etc. Quin immo apud recentissimos Germaniae scriptores vestigia astrologiae et theosophiae etiam occurrunt.

§. IX.

Sydenham.

1. Perpensis praecipuis medicorum systematibus a remotissimis temporibus ad hanc usque diem, superest, ut de quibusdam adhuc medicis, qui nulli systemati addicti, viam ab HIPPOCRATE indicatam secuti sunt, sermo instituatur

incurable. Lond. 793. 8. *Considerations on the medicinal use and production of factious airs. Bristol* 1796. 8. in linguam germanicam translatae a CP. ZOLLIKOFERO ab Altenklingen. Halle 1796. *Medical cases and speculations Pa.* IV. *London* 799. 8. *Notice of some observations made at the medical pneumatic institution. Lond.* 799. 8. *etc.*

(63) Journal de Rozier.

(64) *Grundriss der Theorie der Medicin. Wien.* 1805. 8.

(65) *Entwurf einer speciellen Therapie. Nürnb. Th.* I. 1807. 8.

(66) Dissertatio physico-medica de reformatione theoriae medicae et physicae auspicio philosophiae naturalis ineunte. Petropoli 1807.

(67) *Entwurf einer Pathogenie aus Evolution und Revolution des Lebens. Wien.* 1809 8.

tur. Sed hac de caussa ad seculum decimum septimum revertamur oportet. Hoc enim seculo ineunte, vir immortalis FRANCISCUS BACO a VERULAMIO (68) sicuti ad caeteras scientias, ita et ad medicinam excolendam regulas, et praecepta optima tradidit. Accurate ea secutus est THOMAS SYDENHAM (69), Angliae decus. Hic a doctrina jatro-chemicorum suo aevo vigente abhorrens, non solum methodo alexipharmacae obstitit, sed et regulas eximias plurimis morbis medendi detexit, morborumque epidemicorum historiam, quod jam ante eum WILHELMUS (70) BAILLOU, et CAROLUS LEPOIS (71) praestiterant, fideliter exaravit. SYDENHAMUM vero nimis methodo antiphlogisticae tribuisse, a contemporaneo, ac illius aemulo, magno quoque in praxi viro RICHARDO MORTON (72), traditum est.

Baglivi.

2. SYDENHAMUM secutus est vir magnus, immatura eheu! nimis morte peremptus, atque

(68) Opera edit. Arnoldi. Francof. 1694. Novum organum scientiarum.

(69) *The entire work's. 5 edit. By John Swan* M. D. *Lond.* 1769.

(70) Opera omnia. Genev. 1761. 4.

(71) Selectiorum observationum et consiliorum de praetervisis hactenus morbis adfectibusque praeter naturam ab aqua seu serosa colluvie ortis, liber singularis. Ponte ad monticulum 1611. 4.

(72) Opp. T. III. p. 88. 89.

secundus HIPPOCRATES, GEORGIUS BAGLIVIUS (73) Ragusanus. Nemo enim praecepta aptiora ad praxin medicam exercendam tradidit, quae ipse felicissima experientia comprobavit.

Auctores historiarum epidemicarum.

3. Exempla SYDENHAMII et BAGLIVII praecipue in *morbis epidemicis et catasticis* describendis, et in *observationibus meteorologicis* instruendis imitati sunt clarissimi viri Jo. HUXHAM (74), BERN. RAMAZZINI (75), MICH. SARCONE (76), PAUL VALCARENGHI (77), TISSOT (78), PHIL. GEO. SCHRODER (79), WILH. GRANT (80), LEON.

(73) De praxi medica. Antwerp. 1715. 8.

(74) Opera physico-medica. Ed. Reichel. Lips. 1764. 8.

(75) Opera omnia medica et physiologica. Genev. 1717. 4. Edit. III. Lond. 718. 4.

(76) *Von den Krankheiten in Neapel. Aus dem Ital. Zurich.* 710. 8. 3 Thle.

(77) Medicina rationalis ad recentiorum mentem observationibus adaucta. Cremon. 1737. 4. Continuatio epidemicarum Cremonensium constitutionum. An. 1737-1740. 4.

(78) Diss. de febribus biliosis. Lausan. 1758. In ej. opuscul. medic. colleg. et edid. Ern. Godofr. Baldinger. Lips. et Cell. 1769. 8. T. I. p. 1-138.

(79) Opuscula medica antehac seorsim edita, nunc vero coll. stud. Jo. GEO. ACKERMANN. Norimb. 778. 79. 8.

(80) *Enquiry into the nature, rise and progress of fevers. Lond.* 1775. 8. Vol. II. Versio german. prodiit Lips. 791. 8.

Lud. Finke (81), Antonius de-Haen (82), Lepecq de la Cloture (83), Maximilian Stoll (84), Jo. Geo. Lagusi (85), Carol. Strack (86) etc., quamvis istorum opera ab omnibus hypothesibus, praecipue circa morborum biliosorum originem, eosque tractandi methodum, non admodum purgata sint.

Scriptores de topographia phys. med.

4. Studium *topographiae physico-medicae* et *morborum endemicorum* excoluere Jac. Bontius et Wilh. Piso (87), E. Kampfer (88), A. Cleyer (89), Jo. Mar. Lancisi (90), Wilh.

(81) De morbis biliosis anomalis. Monaster. 1780. 8. Vers. germanica: *Abhandl. von den anomal. Hallenkrankheiten, nebst* I. Pt. Frank's *Einlad. Schrift von den gallicht. Larven einiger Krankh. Frankf. a. M.* 1791. 8.

(82) Ratio medendi in nosocom. Vindobon. Pazmann. Vind. 1737-73. 8. Part. XV. Continuata 1772-79. 8. Ibid. Vol. 3.

(83) *Observations sur les maladies épidemiques etc. Par.* 1776. 4. Versio germanica: *Anleitung nach hippokratischen Grundsatzen epidem. Krankheiten zu beobachten. Leipz.* 1785. 8.

(84) Ratio medendi in nosoc. practico Vindob. Viennae 1777. ss. 8. Vol. VII.

(85) Historia morbi epidemici s. febris petechialis, quae an. 1757 Vindobonae grassata est. Vindob. 1760. 8. (Auctoris nomen verum est Hasenoehrl).

(86) Observationes medicae de morbo cum petechiis. Carolsr. 1766. 8. Ticini 1788. 8.

(87) De Indiae utriusque re naturali et medica. Lib. XIV. Amstel. 1658. f.

(88) Amoenitates exoticae. Lemgo 1712. 4.

(89) Specimen medicinae Sinicae. Frcf. 1682. 4.

(90) De adventitiis aëris Romani qualitatibus. v. Opp.

Falkoner (91), Alex. Wilson (92), Jo. Fr. Cartheuser (93), Leon. Ludw. Finck (94), Poisonnier Despierrieres (95), Pouppe Desportes (96), Bajon (97), Griffith Heighes (98), H. Sloane (99), Wilh. Hillary (100), Ge. Cleghorn (1), Benj. Moseley (2), Rob. Jackson (3), Lionet Chalmers (4), Phil. Fermin (5), Lud.

(91) *Bemerkungen uber den Einfluss des Himmestrichs auf die Gesundheit. Aus dem Engl. Leipzig* 1782. 8.

(92) *Bemerkungen uber den Einfluss des Klima's auf Pflanzen und Thiere. Aus dem Engl.* 1781. 8.

(93) De morbis endemicis libellus. Francf. 1771. 8.

(94) *Versuch einer allgemeinen medicinisch-praktischen Geographie. Leipz.* 1792-95. 8. 3. Thle.

(95) *Traité des fievres de St. Domingue. Paris* 1763.

(96) *Histoire des maladies de S. Domingue. Paris* 1770.

(97) *Mémoires pour servir à l'histoire de Cayenne et de la Guiane française. Paris* 1777. 8. Vol. 2.

(98) *The natural history of Barbados. Lond.* 1750.

(99) *A voyage to the Islands Madera and Jamaica etc. Lond.* 707. fol. Vol. 2. *Aus dem Engl. Augsb.* 1784 8.

(100) *Beobachtungen uber die Krankheiten in Barbadoes. Aus dem Engl. Leipzig* 1776. 8.

(1) *Beobachtungen uber die epidemischen Kranckheiten in Minorka. Gotha* 1776 8.

(2) *Treatise on tropical diseases, on military operations and on the climate of the West-Indies.* 4. *Ed. Lond.* 1806. 8.

(3) *Treatise on the fevers of Jamaica. London* 1791. 8.

(4) *Nachrichten über die Witterung und Krankheiten in Süd-Karolina. Aus dem Engl. Stendal* 1788 *und* 792. 8. 2 Th.

(5) *Traité des maladies les plus fréquentes à Surinam. Mastricht* 1764. *Amsterd.* 765 8.

Scholler (6), E. C. Rodscheid (7), J. C. Schaffer (8), Formey (9), Jo. Jac. Rambach (10), Herm. Bluhm (11), Suter (12), Lentin (13), Jo. G. D. Ellisen (14), C. F. Uden (15), Chr. H. Erndtel (16), Pallas (17), S. G. Gmelin (18), Metzger (19), F. L. de la Fon-

(6) Diss. de morbis Surinamensium. Goett. 1781. 4.

(7) *Bemerkungen uber das Klima und die Krankheiten von Rio Essequebo. Francf.* 1796. 8.

(8) *Versuch einer med. Ortsbeschreibung von Regensburg.* 1787. 8.

(9) *Versuch einer medicinischen Topographie von Berlin. Berl.* 1796. 8.

(10) *Versuch einer physich-medicinischen Beschreibung von Hamburg. Hamb.* 1801. 8.

(11) *Versuch einer Beschreibung der hauptsachlichsten in Reval herrschenden Krankheiten. Marb.* 1790. 8.

(12) Diss. de statu sano et morboso accolarum maris baltici. Lips. 1755.

(13) Memorabilia circa aërem, vitae genus, sanitatem et morbos Clausthalensium. Goett. 1779. 8.

(14) *Med. Ortsbeschreibung des Stadtchens Hoya. Bremens* 1782. 8.

(15) *Briefe und Beobachtungen aus der prakt. Arzneyw. Stendal.* 1779. 8.

(16) Warsawia physice illustrata, seu de aëre, locis, aquis, et incolis Warsawiae, eorumque morib. et morbis. Dresd. 1730. 4.

(17) Topographia Tauridis. Vid. Nov. acta academiae Petropolitanae. T. X. p. 257.

(18) In variis locis op. *Reise durch Russland zur Untersuchung der drey Naturreiche.*

(19) Topographia regiomontana. *Vermischte Scriften.* 2. 3. B.

TAINE (20), NEUHAUSER (21) etc., ne de aliis multis, quorum observationes potissimum in diariis medicis (22) continentur, sermonem instituam (23).

Scriptores de morbis aetatum.

5. Deinde etiam perpensum est a medicis quamplurimis, aetatum considerationem multum valere ad modificandam morborum indolem, et inprimis infantilem aetatem multa habere, quae propterea, quod corpus infantum incrementa in dies adhuc sumat, varient morborum naturam. Quamobrem in tractandis infantum morbis inprimis desudarunt HIER. MERCURIALIS (24), GUALTH. HARRIS (25), JO. STORCH (26), alias

(20) *Chirurgisch-medicinische Abhandl. Polen betreffend. Leipz. u. Breslau* 1792. 8.

(21) Topogr. Cracowiensis inven. in *Med. Nazionalzeitung.* 1798. p. 372.

(22) *Mémoires de la société roy. de médecine. Journal de médecine. Philosoph. transact. Abhandlungen der naturforschenden Gesellschaft in Zurich. Medicinische Nationalzeitung.* HUFELANDS Journal. *Medical comment. of Edinburgh. Archiv. fur medicinische Landerkunde. Coburg* 1800. 8.

(23) Copiosiorem indicem horum scriptorum dedit BURDACH *in der Litteratur der Heilw. Goth.* 810. 8. Th. I. S. 185-206.

(24) De morbis puerorum tractatus. Venet. 1583. 4. Francf. 1584. 8.

(25) Tractat. de morbis infantum acutis. Lond. 1689. 8.

(26) *Abhandl. von Kinderkrankheiten. Eisenach* 1750-71. 8. Vol. I. V.

PELARGUS dictus, NILS ROSEN ab ROSENSTEN (27), CPH. GIRTANNER (28), N. CHAMBON (29), C. BERN. FLEISCH (30), I. C. G. SCHAFFER (31), W. MOSS et MICH. UNDERWOOD (32), I. H. F. AUTENRIETH (33), FR. JAHN (34), JOS. JAC. PLENK (35) et ADPH. HENKE (36), ut alios quam-

(27) *Anweisung zur Kenntniss und Kur der Kinderkrankheiten. Aus dem Schwed. mit Anmerk. v.* I. A. MURRAY. *Goth. und Gott.* 1765. 8. *Mit* LODERS *und* BUCHOLZ's' *Anmerk. Gott.* 1798. 8. Qui quidem liber quamvis contineat multa, quae jure taxari possint, tamen adeo placuit, ut in sex linguas, germanicam, batavam, danicam, anglicam, francogallicam et italicam traduceretur.

(28) *Abhandl. uber die Krankheiten der Kinder und uber ihre physische Erziehungh. Berl.* 1794. 8.

(29) *Des maladies des enfans. Par.* 1798. 8.

(30) *Handbuch uber die Krankheiten der Kinder und uber die medicinisch-physische Erziehung derselben bis zu den Jahren der Mannbarkeit Leipzig* 1804-1808. 8. Vol. IV.

(31) *Uber die gewohnlichen Kinderkranhheiten und deren Behandl. Nach* ARMSTRONG *neu bearbeitet. Regensb.* 1792. 8. 1803. 8.

(32) *Der englische Kinderarzt, nach den Grundsatzen des Hrn.* W. MOSS *und* M UNDERWOOD. *Leipz.* 1786. 8.

(33) Dissert. contin. observationes quasdam physiol. pathologicas, quae neonatorum morbos frequentiores spectant. Tab. 1799. 8. In vernaculam linguam translata in *auserl. Abhandl. zum Gebrauch prakt. Aerzte* B. XIX. *S.* 123. ff.

(34) *Neues System. der Kinderkrankheiten, nach Brownschen Grundsatzen und Erfahrungen bearbeitet. Arnst und Rudolstadt.* 1803. 1807. 8.

(35) Doctrina de cognoscendis et curandis morbis infantum. Vindob. 1807. 8. Eodemque anno prodiit sermone vernaculo: *Lehre von der Erkenntn. und Heilung der Kinderkrankheiten.* 8

(36) *Handbuch zur Erkenntniss. und Heilung der Kinderkrankheiten. Frkf. am Mayn.* 1809. 8.

plurimos taceam, qui aut de morbis infantum in universum, aut de nonnullis eorum in specie exposuere, quos FLEISCHIUS diligenter *l. c.* adduxit. Neque vero praetermissum est senium, de cujus variis morbis praeter Jo. BERNH. de FISCHER (37), qui fere primarius scriptor hoc de argumento et censetur et est, egerunt DAN. GUIL. TRILLERUS (38), BURCH. GU. SEILERUS (39) et I. H. F. AUTENRIETH (40).

Scriptores de morbis sexuum.

6. Praeterea in morborum descriptione atque medela respexerunt quoque ad sexus differentiam. Quod quidem argumentum in universum unus, quantum memini, tractavit de industria HARTMANNUS (41). Virorum autem morbi peculiari scripto expositi sunt a Jo. JUNCKERO (42). Contra autem mulierum morbi plurimorum scriptorum meditationem occuparunt. Etenim

(37) De senio ejusque gradibus et morbis: cum praefatione A. E. BUCHNER. Erfurt 1754. 8. In vernaculam linguam translatus et auctus variis additam. a THEOD. TH. WEICHARDTO. Lips. 1777. 8.

(38) De senilibus morbis diverso modo a Salomone et Hippocrate descriptis. Viteb. 1781. 4.

(39) Progr. de morbis senum. Viteb. 1807. 4.

(40) Dissert. d. ortu quorund. morborum provectioris aetatis, praecipue ophthalmiae senilis. Tubingae. 1806. 8.

(41) Differentiae sexus utriusque pathologicae momenta. Gott. 1790. 4.

(42) Diss. de morbis virorum. Hal. 1748. 4.

praeter HIER. MERCURIALEM (43), JO. VARANDAEUM (44), GUIL. BALLONIUM (45), JAC. PRIMEROSIUM (46), et alios seculi decimi septimi medicos, superiori seculo JO. STORCH (47), JO. ASTRUC (48), JO. LEAKE (49), ANDR. PASTA (50), C. L. MURSINNA (51), CHAMBRON de MONTAUX (52), F. B. OSIANDER (53), F. VIGAROUX (54), JO.

(43) De morbis muliebribus praelectiones in IV. libros digestae per MICH. COLUMBUM. Ven. 1601. 4.

(44) De morbis mulierum libri III. Montispess. 1620. 8.

(45) De virginum et mulierum morbis liber. Paris. 1643. 4.

(46) De morbis mulierum libri V. Roterod. 1655. 4.

(47) *Von den Krankheiten der Weiber. Eisenach* 1748-53. 8. Thle 8.

(48) *Traité des maladies des femmes. Paris* 1766. 12. Vol. IV. in linguam germanicam translatus liber a C. FR. OTTO. Dresd. 1767 -- 778. 8. Vol. VI.

(49) *Medical instructions towards the preventions and cure of chronic or slow diseases peculiar to woman etc. Lond.* 1777. 8. In linguam germanicam translatum opus Lips. 1778. 8.

(50) Dissertazioni mediche intorno a diverse malattie delle donne. Napoli 1782. 4.

(51) *Abhandlung von den Krankheiten der Schwangern, Gebahrenden und Wochnerinnen. Neue Aufl. Berl.* 1784-91. 8. Theile 2.

(52) *Abhandlung von den Krankheiten der Frauen. Erfurth* 1789-90. 8. *Abhandlung von den Krankheiten unverheuratheter Frauenzimmer. Nurnb.* 1787. 8. Prioris libri editio auctior et emendatior Parisiis prodiit 1799. 8. Vol. II.

(53) *Beobachtungen von Krankheiten der Frauenzimmer und Kinder. Tubing.* 1787. 8.

(54) *Cours élémentaire des maladies des femmes. Paris Leipz.* 1809. 8. 1801. 8.

Ch. Gfr. Jorgius (55), L. I. C. Mende (56) et El. de Siebold (57) plene de iis egerunt.

Scriptores de morbis classium exercituum, artificum etc.

7. Nec morbi ex *peculiari modo vivendi* et *vitae conditione* ortum derivantes attentionem medicorum effugerunt. De morbis *classium* egerunt Wilhelmus Cockburn (58), Petrus Chirac (59), Chr. Vater (60), Ludw. Rouppe (61), Poissonnier Despierreres (62), I. Clark (63), Blane (64), Lind (65), Calli-

(55) *Handbuch der Krankheiten des menschlichen Weibes. Mit 1 Kupf.*

(56) *Die Krankheit. der Weiber nosol. und therap. bear. Berl.* beitet. 1810. 8. Th. 1.

(57) *Handbuch zur Erkenntn. und Heilung der Frauenzimmerkrankh. Frankf. am Mayn.* 1811. 8. B. 1.

(58) *Sea-diseases, or a treatise of their nature, causes and cure. Lond.* 1696. 8. Edit. II. Lond. 706. 8. Germanica versio Rostock. 726 8.

(59) *Observations sur les incommodités, auxquelles sont sujets les equipages des vaisseaux.* Vid. Haller bibl. pract. To. IV. p. 2.

(60) De morbis classiariorum et navigantium. Wittenberg. 1715. 4.

(61) De morbis navigantium. L. B. 1764. 8.

(62) *Traité des maladies des gens de mer. Paris* 1767. 8.

(63) *Beobachtungen uber die Krankheiten auf langen Reisen nach heissen Gegenden. Aus dem Engl. Kopenhagen* 1778. 8.

(64) *Beobachtungen uber die Krankheiten der Seeleute. Aus dem Engl. Marb.* 1788. 8.

(65) *Essay on the most effectual means of preserving the health of seamen in the Royal navy.* 1774.

SEN (66), PRINGLE (67), BACHERACHT (68), WERNER (69), DELIVET (70), TH. TROTTER (71), NICOL. FONTANA (72), etc. de morbis exercituum PRINGLE (73), DONALD MONRO (74), E. G. BALDINGER (75), W. BLAIR (76), GEORG WEDEKIND (77), WILH. LINDEMANN (78), N. P. GI-

(66) *Ueber die Mittel, die Seefahrenden gesund zu erhalten. Kopenhagen* 1778. 8.

(67) *Von der Verbesserung der Mittel, die Gesundheit der Seeleute zu erhalten. Aus dem Engl. von* WICHMANN. *Gott.* 1777. 8.

(68) *Von der Erhaltung der Gesundeit der Seeleute. St. Petersburg* 1790.

(69) *Versuch uber die Krankheiten der Seeleute. Aus dem Engl. Mit Bemerkungen von* HUFELAND. *Erfurt* 1798.

(70) *Principes d'hygiène navale etc. Paris* 1808. 8.

(71) Medicina nautica. Londini 1797. 8.

(72) *Bemerkungen uber die Krankheiten, womit Europaer in heissen Himmelstrichen und langen Seereisen befallen werden. Aus dem Engl. Stendal* 1790. 8.

(73) *Beobachtungen uber die Krankheiten einer Armee Altenb.* 1772. 8.

(74) *Ueber die Mittel, die Gesundheit der Soldaten zu erhalten, Feldlazerethe anzulegen etc. Altenb.* 1784. 8.

(75) *Von den Krankheiten einer Armee. Langens* 1774. 8.

(76) *The soldiers Friend or the means of preserving the health of military men etc. Lond.* 1798.

(77) *Nachrichten uber das franzosische Kriegsspitalwesen. Leipz.* 1797. 8.

(78) *Entwurf, die vorzuglichsten Krankheiten der Soldaten im Felde schneller und glucklicher zu heilen. Berlin* 1799. 8.

LIBERT (79); de morbis principum TRALLES (80), RAMAZZINI (81) etc.; de morbis aulicis LANGHANS (82), TISSOT (83) etc.; de morbis litteratorum idem (84), ACKERMANN (85), FRANZ (86), jurisconsultorum FURSTENAU (87), medicorum idem (88), pharmacopaeorum BUCHNER (89), artificum RAMAZZINI (90), HARTMANN (91), HUNNIUS (92), pauperum REITZ (93), Judaeorum

(79) *Plan d'un cours d'institutions de médecine pratique sur les maladies les plus fréquentes chez les gens de guerre. Paris an.* VI. Ejusd *Tableau historique des maladies internes de mauvais caractère qui ont affligé la grande armée dans la campagne de Prusse et de Pologne etc. Berlin* 1808. 8.

(80) Vera patrem patriae annuente divina clementia sanum et longaevum praestandi methodus etc. Vratislav. 1767. 8.

(81) De principum valetudine tuenda commentatio. Patav. 1719. 4.

(82) *Von den Krankheiten des Hofes. Bern.* 1770. 8.

(83) *Essai sur les maladies des gens du monde. Oeuvres,* T. IV.

(84) *De la santé des gens de lettres.* L. c. T. VIII.

(85) *Abhandl. von den Krankheiten der Gelehrten. Nurnb.* 1777. 8.

(86) *Der Arzt der Gottesgelehrten. 2te Anfl. Leipz.* 1770.

(87) Epistola ad C. ab UFFENBACH de morbis jurisconsultorum. Francf. ad Moen. 1721.

(88) Diss. de morbis medicorum. Rintel. 1732.

(89) De morbis pharmacopaeorum et chirurgorum. Hal. 1751.

(90) De morbis artificum etc. Opera omnia. Genev. 1717.

(91) Diss. de opificum morbis. Francf. ad Viadr. 1777.

(92) *Arzt fur Schauspieler und Sanger. Weimar* 1798. 8.

(93) De morbis pauperum. Ultraj. 1752.

WOLF (94); hominum in fodinis etc. laborantium SCHEFFLER (95), KORTUM (96), MICHAELIS (97), ENGEL (98), HETZEL (99) etc.

Scriptores monographiarum.

8. Multum inde praxis ex eo lucrata est, quod medici consilium BACONIS secuti, non in doctrinis generalibus, quae morbis omnibus adaptari possint, excogitandis, illustrandisque tempus tererent, sed ad *morborum specialium* descriptiones et historias, nec non eorum diagnosin animum converterent; quod inprimis praestiterunt J. B. BIANCHI (100), JAC. WEPFER (1), SENAC (2), I. LIND (3), TRILLER (4), WERLHOFF (5), JOH.

(94) *Abhandl. von den Krankheiten der Juden. Mannh.* 1777. 8.

(95) *Abhandl. von der Gesundheit der Bergleute. Chemnitz* 1770.

(96) *Gesundheitsbuchlein fur Bergleute. Dortmund* 1800. 8.

(97) Diss. de morbis metallicorum. Lips. 1652. 4.

(98) Dissert. sistens generalissima quaedam circa gentis metallicae morbos. Hal. 1773. 4.

(99) Diss. de valetudine salis coctorum. Altdorf. 1731. 4.

(100) Historia hepatica. August. Taurin. 1710. 4. In tert. ed. omn. tandem numeris absoluta. Genev. 725. 4. Vol. 2.

(1) Observationes medico-practicae de affectionibus capitis. Scaph. 1727. 8.

(2) *Traité de la structure du coeur, son action, et de ses maladies. Paris* 1774. 4. Vol. 2.

(3) *Treatise of the scurvy. Edinb.* 1753.

(4) De pleuritide. Vid. Opuscula medica et medico-philologica. Francf. et Lips. 1766. 4.

(5) Observationes de febribus, praecipue intermittentibus. Hanov. 1732. Opera omnia. Edit. a Wichmanno 1773. 4.

Fothergill (6), I. Floyer (7), Heberden (8), Huxham (9), Millar (10), Wichmann (11), Barthez (12), Hufeland (13), Tissot (14), Domin. Cotunni (15), Michaelis (16), aliique permulti, debitis locis commemorandi.

Scriptores de usu remediorum cardinalium.

9. Nec minus praxin medicam adjuvarunt labores medicorum, qui *ad remedia contra certos et determinatos morbos invenienda*, nec non ad regulas illorum applicationem, sub variis rerum positionibus spectantes, determinandas accesserunt. Id ipsum testantur opera Wepfer (17), Torti (18), Tralles (19), Stork (20),

(6) *Of a painful affection of the face.* In ejusd. *Works.*
(7) *Abhandlung von der Engbrustigkeit. Leipzig* 1782. 8.
(8) De angina pectoris. Vid. commentarii de morborum historia et curatione, p. 308 -- 314. Lond. 1802.
(9) De febribus lentis et nervosis. Opera. Lipsiae 1764.
(10) *Bemerkungen uber die Engbrustigkeit. Leipzig* 1769. 8.
(11) *Ideen zur Diagnostik. Hannov.* 1794-802. 8. Th. 1-3.
(12) *Abhandl. uber die Gichtkrankheiten. Berlin* 1803. 8.
(13) *Ueber die Ursachen, Erkenntniss und Heilung der Skrofelkrankheit. Eine gekronte Preifsschrift. Jena* 1795. 8.
(14) *Traité des nerfs et de leurs maladies.*
(15) De ischiade nervosa commentarius. Vienn. 1770. 8.
(16) De angina polyposa. Goett. 1778. 8.
(17) Historia cicutae aquaticae. Basil. 716. 4.
(18) Therapeuticae specialis ad febres quasdam perniciosas, inopinate ac repente lethales, una vero china, peculiari modo ministrata, sanabiles. Mutinae 1712.
(19) Usus opii salubr. et noxius in morb. medela. Ed. altera. Vratisl. 1774 -- 84. 4. Vol. IV.
(20) Libellus, quo demonstratur: cicutam non solum usu in-

Greding (21), Schroder (22), Withering (23): Tennent (24), Hufeland (25), etc. etc.

Collectiones observationum.

10. Perutile tandem negotium fuit, singulas, et dispersas medicorum *observationes practicas in unum colligere*, et publici juris facere. Neminem latet, quid hac in re praestiterint academiae et societates medicorum Petropoli (26), Berolini (27), Hafniae (28), Upsaliae (29),

terno tutissime exhiberi etc. Vindob. 1760. 8. Libellus secundus, quo confirmatur, cicutam etc. Vindob. 1765. 8.

(21) Adversaria medico-practica. Vol. I. p. 705. Stork libellus, quo demonstratur: stramonium, hioscyamum, aconitum non solum tuto posse exhiberi usu interno hominibus, verum et ea esse remedia in multis morbis maxime salutifera. Vind. 1762. 8.

(22) *Von den Wirkungen der Eicheln, Verstopfungen der Drüsen im menschlichen Korper aufzulosen. Gott.* 1774.

(23) *An account of the Foxglove. Birmingham* 1785. 8. In linguam german. translat. a Chr. Fr. Michaelis. Leipz. 1776. 8.

(24) *Mémoir. de l'academ. des sciences à Paris. ann.* 1739. *p.* 137.

(25) *Erfahrungen uber den Gebrauch und die Krafte der Schwererde in verschiedenen Krankheiten. Erfurt* 1792. 4.

(26) Commentarii academiae scientiarum Petropolitanae. Vol. XIV Novi commentarii. 1747. Vol. XX. Acta acad. ind a 1770.

(27) *Physicalische und medicinische Abhand. der Acad. der Wissenschaft. zu Berlin* 1781. Acta medicorum Berolinensium. Dec. I -- III. Berol. 1717. 8.

(28) Collectanea societatis med. Havniensis. Havn. 1774. Acta societatis regiae medicae Havniensis. Havniae 1783.

(29) Acta medicor. suecicorum. Sylloge observat. et casuum

Londini (30), Edimburghi (31), Parisiorum (32), Divioni (33), Viennae (34), Tiguri (35), Bononiae (36), quid medici in nosocomiis majoribus vel clinicis institutis Hafniae (37), Viennae (38), Parisiorum (39), Wurcebur-

rarior. in variis medicinae partib. Upsal. 1783. 8. Vers. german. St. Gallen. 1785. 8.

(30) Philosophical transactions. London. 1665. Transactions *published by the eollcge of physicians in London* 1768. *Observations and inquiries by a society of physicians in London* 1758. *Medical communications. London* 1784. 1790. *Memoirs of the medical society of London* 1787. *Facts and observations. Lond.* 1791. *Medical records and researches, selected from the papers of a private medical association. Lond.* 1798.

(31) *Medicinische Comment. von einer Gesellschaft der Aerzte zu Edinburg. Altenb.* 1774. *Neue Edinburg. Versuche und Bemerkungen. Altenb.* 1756. 8.

(32) *Histoire de l'académie royale des sciences à Paris, avec les mémoires* 1699. *Recueil périodique d'observations de médecine, de chirurgie, et de pharmacie. Paris* 1794. *Journal de médecine, chirurgie et pharmacie rédigé par* M. SEDILLOT *Paris.*

(33) *Mémoires de l'académie de Dijon.* 1769. *Mémoires nouveaux de l'académie de Dijon.* 1782.

(34) *Abhandl. der k. k. Josephin. med. chirurg. Akadem. zu VVien* 1787. 1802. 4. Vol. 2.

(35) *Museum der Heilkunde von der Helvetischen Gesellschaft correspondirender Aerzte. Zurich* 1795. ss. 8. Vol. IV.

(36) Commentarii bononienses. 1731.

(37) *Answahl aus den Tagebuchern des Krankenhauses zu Kopenhagen.* 1790. 8. I. C. TODE's *klinische Berichte etc. Kopen.* 1801.

(38) H. Jos. COLLIN nosocomii civici annus medicus tertius. Vindob. 1764. DE HAEN, STOLL, et HILDENBRAND ratio medendi in schola practica Vindobonensi 1809. 8.

(39) *Observations de médecine et de chirurgie faites dans les hôpitaux du Roi. Paris* 1717.

gi (40), Ticini (41), Berolini (42), Edimburghi (43), Tubingae (44), Erlangae (45), Helmstadii (46), Vilnae (47) etc. praxin exercentes; quid postremo THOM. BARTHOLINUS (48), FABRICIUS HILDANUS (49), JO. SCHENK (50), PET. FORESTUS (51), HULD. PELARGUS (52), STALPARTUS VAN DER

(40) THOMANN instituti medico-clinici Wurceburgens. 1799. 8. HORSCH *Beobachtungen und Erfahrungen uber die Witterung und Krankh. in Wurzburg im J.* 1807. *Rudolst.* 1808. 8.

(41) Ratio instituti clinici ticinensis, auct. JOSEPH FRANK. Vindob. 1796. 8. Versio germanica prodiit ibid. 1797. 8. 8. BRERA annotazioni medico-pratiche sulle diverse malattie trattate nella clinica medica -- di Pavia. Nuova ediz. accresciuta. Crema 1806. 4. Versio germanica prodiit. Zurich. 1801. 8.

(42) *Annalen des Klinschen Instituts in Berlin* 1791.

(43) *Klinische Versuche. Leipz.* 1781. 8.

(44) *Uebersicht der wichtigsten Vorfalle im* clinico ambulatorio *Tubingen* 1796. *Versuche fur die praktische Heilkunde aus der klinischen Anstalten von Tubingen von Prof.* I. H. F. AUTENRIETH. 1807 *und* 1809. 8. Heft. 1. 2.

(45) WENDT's *Annalen des klinischen Instituts auf der Akademie zu Erlangen. Erlang.* 1808. Heft. 1. 2.

(46) *Annalen der klinischen Anstalt zu Helmstadt., von deren Director* W. G. REMER 1809. 8.

(47) Acta instituti clinici C. Universitatis Vilnens. Lips. 1808. 8. anni I et II.

(48) Acta medica et philosophica Hafniensia. Havn. 1673. -- 680. 4. Vol. V.

(49) Observationes et epistolae medicae. V. Opp.

(50) Obs. med. rarae. Francf. 1600.

(51) Observationum et curationum medicinalium lib. XXVIII. Frf. 1602. 8.

(52) *Medicinische Jahrgange. Leipz.* 1724. 4.

Wiel (53), Nic. Tulpius (54), Car. Peyroux (55), A. Haller (56), Ed. Sandifort (57), Baldinger (58), Ant. Theden (59), Leb. Schmucker (60), Ch. L. Mursinna (61), I. Ch. Loder (62), Gerh. Thilenius (63), B. Lentin (64), L. Heister (65), C. G. Ludwig (66), J. E. Gilibert (67), C. B. Sommer (68), I. Targioni Tozzetti (69), J. Gherli (70), A. G. Richter (71), I. C. Reil (72), Hufeland (73)

(53) Observ. rariores. Lugd. Bat. 1727. 8.
(54) Observ. medicae. Amst. 1672. 8.
(55) Observations medicinales. Paris 1759.
(56) Opuscula pathologica. V. Oper. minora. Lausan. 1768. Ejusdem observ. med. pract. Goett. 1750.
(57) Thesaurus dissertationum, programmatum, aliorumque opusculorum selectissimorum. L. B. 1778. 4. Vol. 3.
(58) *Magazin fur Aerzte. Neues Magazin fur praktische Aerzte. Leipz.* 1779.
(59) *Neue Bemerkungen und Erfahrungen. Berlin* 1771.
(60) *Wahrnehmungen aus der Arzneykunst. Frankenthal* 1784.
(61) *Neue med. chirurg. Beobachtungen. Berl.* 1796.
(62) *Chirurg. med. Beobachtungen. Weimar* 1794.
(63) *Med. und chirurgische Bemerkungen Fr.* 1789.
(64) Obs. medicarum Fasc. I. II. Cell. 1764 -- 70. 8.
(65) *Medicinischce, chirurgische und anatomische Wahrnehmungen. Rostok* 1753.
(66) Adversaria medico-practica.
(67) Adversaria medico-practica prima, seu annotationes clinicae. Lyon. 1791.
(68) Observationes miscellaneae med. chirurg. Rigae 1796.
(69) Prima raccolta d'osservazioni mediche. Firenze 1752.
(70) Centuria I. II. di rare Osservazioni di medicina curiosa. Venezia 1753.
(71) *Medicinisch-chirurgische Bemerkungen. Gott.* 1773.
(72) Memorabilia clinico-medico-practica. Hal. 1790.
(73) *Journal der praktischen Heilkunde. Berlin.*

etc. Magni momenti porro opus, collectionem observationum non solum, sed et dissertationum practicarum exhibens, Germania possidet (74) et Italia (75).

Scriptores de anatome pathologica.

11. Opera hic enumerata, facta innumerabilia, *anatomiam pathologicam* respicientia exhibent, maximi momenti scientiam, cujus progressus potissimum debentur THEOPHILO BONET (76), JO. BAPT. MORGAGNI (77), JOSEPH LIEUTAUD (78), JO. GOTTL. WALTER (79), ALB. HALLER (80), PET. CAMPER (81), ED. SANDIFORT (82), R. BROWNE CHESTON (83), I. B. MON-

(74) *Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauche praktischer Aerzte. Leipzig.*

(75) Delectus opusculorum medicorum etc. Ticini.

(76) Sepulcretum anatomicum etc. Auctum a Mangeto. Lugd. 1700.

(77) De sedibus et causis morborum per anatomen indagatis. Venet. 1761.

(78) Historia anatomico-medica etc. Paris 1767.

(79) De morbis peritonei et apoplexia. Berol. 1785. 4. *Sur les maladies du coeur, vid. mémoires de l'academie des sciences de Berlin* 1785. Filius edidit: *Anatomisches Museum. Berlin* 1796. 8. Vol. 2.

(80) Opuscula pathologica partim recusa, partim inedita. Lausan. 1768. 8.

(81) Demonstrationes anatomico-pathologicae. Amst. 1762. f.

(82) Observ. anatomico-pathologicae. Lib. IV. Lugd. 1777. 4. Museum anatomicum academiae Lugd. Batavae. L. B. 1793. fol.

(83) *Pathological Inquiries and observations in surgery from the dissections of morbid bodies etc. Glocester* 1766. Vers. germanica prodiit. Goth. 1780. 8.

TEGGIA (84), WILLIAM HUNTER (85), CHR. LUDWIG (86), ASSALINI (87), MAT. BAILLIE (88), SAM. THOM. SOEMMERRING (89), ANT. SCARPA (90), JAC. PENADA (91), CORVISART (92), JO. ABERNETTY (93), NIC. CHAMBON DE MONTAUX (94), ANT. PORTAL (95) etc. Horum auctorum observationes diligenter et sagaciter collegit, atque pro-

(84) Fasciculi pathologici. Mediol. 1789.

(85) *Medicinische und chirurgische Beobachtungen und Heilmethoden. Von Kugn. Leipzig* 1784. 8. Vol. 2.

(86) Primae lineae anatomiae pathologicae. Lips. 1785. De quarundam aegritudinum humani corporis sedibus et causis adversaria medica. Lips. 1798.

(87) *Essai sur les vaisseaux lymphatiques. Turin* 1787.

(88) *The morbid anatomy of some of the most important parts of the humane body. Lond.* 1793. Versio Soemmerringii germanica prodiit. Berol. 1794.

(89) In animadversionibus adjectis modo citato BAILLII libro, et in opere: *Vom Baue des menschlichen Korpers. Frcf. a M.* 1800. 8. Th. V.

(90) Variis egregiis in operibus debito loco commemorandis.

(91) Saggio d' osservazioni e memoria sopra alcuni casi singolari riscontrati nell' esercizio della medicina e dell' anatomia pratica. Pad. 1794.

(92) *Essai sur les maladies et les lésions organiques du coeur et des gros vaisseaux, à Paris* 806. 8.

(93) *Chirurgische und physiologische Versuche. Uebers. von* BRANDIS. *Leipzig* 1795. 801 8.

(94) Observationes clinicae, curationes morborum periculosorum et rariorum, aut phaenomena ipsorum in cadaveribus indagata referentes. Paris 1789. *Germanice.* Leipz. 1791.

(95) *Cours d'anatomie médicale ou élémens de l'anatomie de l'homme. Paris* 1804. 8. Vol. V.

priis observationibus auxit vir clarissimus F. G. VOIGTEL (96).

Compendiorum Scriptores.

12. Ex observationibus ab aetate HIPPOCRATIS ad nostrum usque tempus collectis, atque ex operibus principum medicorum nonnulli inter eximios practicos nostri aevi regulas singulis medendi summatim expresserunt. Loquor de *praxeos medicae compendiis* nunquam satis commendandis J. BAPT. BORSIERI (97), SELLE (98), J. P. FRANK (99), J. CHR. REIL (100), CH. WILH. HUFELAND (1), PH. PETIT-RADEL (2), STARKE (3), et AUG. FRID. HECKER (4).

(96) *Handbuch der pathologischen Anatomie. Halle* 1804. 1805. 8. Vol. III.

(97) Institutiones medicinae practicae. Mediol. 1781. 4. Vol. IV. Edit. II. Lips. 1786. 8. Vol. IV.

(98) Medicina clinica *oder Handbuch der medicinischen Praxis.* Berol. 1797. 8. Latine: Lib. de curandis morbis septimum vernacula editum lat. interpret. est. Curt. SPRENGEL. Berol. 1798.

(99) Epitome de curandis hominum morbis. Manh. 1799 -- 1807. 8. Vol. V.

(100) *Ueber die Erkenntniss und Kur der Fieber. Halle* 1797 -- 1801. 8. Vol. IV.

(1) *System der praktischen Heilkunde. Francf.* 1802 -- 1805. 8. Th. I. II.

(2) *Institutions de médecine ou exposé sur la théorie et la pratique de cette science etc. Paris an X.* 8. Vol. 2.

(3) *Handbuch zur Kenntniss und Heil. innerer Krankheiten des menschlichen Korpers. Jen.* 1800. 8. 2. Theile.

(4) *Kunst die Krankheiten der Menschen zu heilen, nach*

Repertoria.

13. Postremo cum opus desideraretur, quod elenchum quemdam contineret omnium, quae circa morbos, quot quot sunt, medici scripserunt, herculeum vere hocce opus vir doctrina, et studio excellens, Cl. Ploucquet (5), perfecit.

§. X.

Quam viam inituri simus.

1. Brevis haec historiae, et litteraturae medicae delineatio abunde docet, medicos varias diversasque vias ad propriam scientiam exercendam excolendamque inivisse. Superest nunc, ut inquiramus, quid a nobis praestandum sit, ut tuto, quo tendimus, perveniamus.

Philosophia.

2. *Philosophia*, sicuti aliis disciplinis, ita et medicinae instar luminis est. At vera philosophia cum arte sophistica, quae non raro alterius nomen usurpat, minime confundenda.

den neuesten Verbesserungen in der Arzneywissenschaft. Erfurt 1805. 8. 1809. 8. Vol. II.

(5) Initia bibliothecae medico-practicae et chirurgicae realis. Tom. I -- VIII. Tubing. 1793 -- 797. 4. Continuationum et supplementorum Tomi quatuor. Tub. 799 -- 803. 4. Nova editio hoc titulo prodiit: Literatura medica digesta sive repertorium medicinae practicae, chirurgiae, atque rei obstetriciae. Tubing 1808, 809. 4. Vol. IV.

Genuina philosophia, contentionibus inimica naturali hominis judicio innititur, ingenium acuit, imaginationi frenum injicit, vanas ideas respuit, facta in ordinem disponere, comparare, ex iis caute observationes, regulasque generales deducere docet, verbo, quomodo scientiae excolendae sint, tradit. Sophistica contra delectatur contentionibus, ideas abstrusas complectitur, ac anguis instar in ipsarum scientiarum contextum dolose sese insinuat. Quonam fato hoc contingat, ex enarratis (6) clare apparet. Philosophiae verae elementa inveniuntur in operibus Baconis (7), Locke (8), T. Reid (9), Zimmermann (10), Weikard (11), Senebier (12), Pinel (13), Cabanis (14), Sprengel (15) etc.

Chemia.

3. Exemplum *chemiae* medicinae adaptatae

(6) § II. 2. 4.
(7) Op. cit. § IX. 1. Not. 70.
(8) *Essay on humane understanding. London* 1788.
(9) *Inquiry into the human mind, on the principle of common sense. Lond.* 1769.
(10) *Von der Erfahrung in der Arzneykunst. Zurich* 1787. 8.
(11) *Der philosophische Arzt. Erste Ausgabe. Frkf. a. M.* 1775 -- 77. 8. Vol. II.
(12) *L'art d'observer. Genève* 1775.
(13) Nosographie philosophique. Tom. II. p. 520. Vid. *Samml. auserl. Abhandl. Jur prakt. Aerzte* XVII. *B.* 4 St. S. 558.
(14) Op. cit. § I. 4. Not. 10.
(15) *Handbuch der Pathologie. Dritte Aufl. Leipz.* 1802 -- 1810. 8. Th. 3.

nos terret (16). Chemia quidem hodierna utpote experimentis innixa, et ab hypothesibus purgata, meliora promittit; atque magni sane momenti censemus labores cl. Fourcroy, Vauquelin, Berthollet, Thenard, Beddoes, Rollo, Davy, Goodwin, Bostok, aliorumque, analysim urinae, bilis, calculorum, doctrinam respirationis, submersionis exhibentes: donec usque autem chemia elementa corporis humani, igne, et acerrimis reagentibus torquebit, atque donec usque analysin per synthesin, saltem proxime quoad fieri potest, non confirmabit, illi systema praxeos medicae tuto superstrui posse, minime existimamus.

Mathesis.

4. Exemplum *matheseos et mechanices* medicinae applicatae (17) minus nos terret. Hoc enim primum a viris doctis, et ingenio pollentibus susceptum fuit, deinde, ut monuimus (18), magis in physiologia et pathologia, quam in ipsa praxi hujusmet applicatio locum habuit. Quomodocumque sit, nemo inficiabitur, leges corporum mortuorum nequaquam posse vivis applicari. Interea fatemur tamen, plura morborum phaenomena, praesertim ea, quae ex vi-

(16) § VI. 4.
(17) § VII.
(18) L. c. 4.

scerum obstructionibus pullulant, aut haemorrhagias comitantur, perbelle posse per mechanica principia explicari.

Solidum vivum.

5. Pulcherrima luce *doctrina solidi vivi*, seu *dynamica* nostro aevo clarescit ita, ut vel medici, qui observationi et experientiae potissimum confidunt (19), illi tamen multum faveant. Plurimae sane leges excitabilitatis, et stimulorum in eam agentium per ingeniosa experimenta innotuerunt. Verum haec omnia longe adhuc ab eo perfectionis gradu, ut illis systema totius praxeos medicae superstrui possit, distare videntur.

Observatio, experientia.

6. Nulla igitur alia via nobis sese offert, quam simplex naturae observatio, eadem scilicet via, quam Hippocrates, Sydenhamus, Baglivius secuti sunt (20), quamque medici praeclari totius orbis terrarum serius ocyus sequuntur.

Erimusne igitur sola praxi contenti, a qualibet theoria alieni? — Fateor quidem, me Arabum illam medicinae subdivisionem in theoriam et praxin nullo pacto posse intelligere. Neque ejus apud Graecos mentio unquam fit. De

(19) §. IX. 10.
(20) IX.

bono aut malo vino judicare non poteris, nisi gustaveris (21). Et revera, si theoria ratiocinium aliquod significat, cum hoc in medicina nonnisi ex praxi, sive ex observatione deduci valeat, nemo magis theoriae indulget, quam practicus, sive observator. Si vero pro theoria fictio quaedam, seu immaginationis partus obtrudatur, illam tunc utpote medicinae omnino extraneam, absolute contemnendam esse, per se patet.

Conclusio.

7. *Observationi igitur, et ratiocinio*, hisce veris medicinae veluti cardinibus innixi, inprimis nostrum erit morborum phaenomena, quotquot sunt, accuratissime observare, eaque cum phaenomenis ex autopsia cadaverum emergentibus sedulo comparare: porro rerum positiones omnes, quae aut evolutionem morbi praegressae sunt, aut eam comitatae, attente eruere: tandem de sede, indole, et exitu morbi, omni animi contentione adhibita, caute judicare: postremo ea auxilia, quae alias sub similibus circumstantiis ad morbum sive tollendum, sive sublevandum, sive vitam aegri protrahendam utilia, aut saltem innocua detecta fuere, prudenter in usum deducere. De hisce omnibus singillatim.

(21) Bagliv. Op. cit. § IX. 2. Not. 75. Lib. I. Cap. XI. § VI.

§. XI.

Symptomatum observatio.

1. Phaenomena morborum, sive *symptomata*, aut ex relatione aegri ipsius innotescunt, aut in sensus medici cadunt, vel ex utroque fonte simul elucent. Aegri, nisi viribus nimis sint fracti, aut mente alienati, de propriis sensationibus rationem reddunt, de doloribus scilicet, de impedimentis exercitio functionum obstantibus, de sensuum, et appetitus vitiis etc. Aeger historiam proprii morbi narrans raro, aut nunquam quaestionibus a medico est interrumpendus. Ejus verba, licet rudia, quantum fieri potest, retinenda; plerumque enim verum morborum idioma exhibent. Quod ad phaenomena morborum in sensus incidentia, respiciendum est ad corporis habitum, temperaturam, positionem, modumque incedendi: ad conditionem cutis, carnium subjacentium, unguium, transpirationis, faciei, praesertim oculorum, frontis, crinium, aurium et earum ceruminis, nasi, oris, labiorum, gingivarum, linguae, halitus, salivae colli, deglutitionis, vocis, loquelae, ad inspirationem, exspirationem, ad tussim, sputa, sternutationem, oscitationem, et singultum: ad cordis arteriarumque motus: ad statum regionis

epigastricae, hypochondriorum, et reliqui abdominis: ad vomitum, faeces, urinam, menstrua: tandem ad somnum, vigilias, animum etc. Dum corporis humani partes de morbo suspectas tactu exploramus, aegroto congrua, pro sede morbi varia, positio imperanda. Non vero satis est morborum ipsorum phaenomena observare, nam et ea *opportunitatis* sive *praedispositionis*, nec non *convalescentiae*, omni attentione digna sunt.

Autopsia cadaverum.

2. Ad originem symptomatum plurimorum morborum detegendam, nil magis *cadaverum sectionibus* confert. Ut vero cadaveris sectio omnino utilis evadat, antecedentis morbi historiam probe nosse oportet. Inprimis cavendum, ne illam praeconcepta opinione aggrediamur. Pars, ubi sedem morbi suspicamur, primum secanda, deinde ad organa cum parte affecta maximum consensum habentia examinanda procedendum, v. c. laborante hepate ad cerebrum et viceversa. Optimas regulas pro sectionibus cadaverum tradiderunt Cl. SANDIFORT (22), ISENFLAMM (23), C. S. SCHINZ (24), et OE-

(22) Oratio de circumspecto cadaverum examine optimo practicae medicinae adminiculo. Lugd. Batav. 1772. 4.

(23) De cauto sectionum cadaverum usu ad dijudicandas morborum causas. Gott. 1786. 4.

(24) De difficili in observationes anatomicas epicrisi I -- VIII. Erlang. 1793. 4.

CHY (25). Partes morbosae cum annexis extrahendae, et in museis pathologicis conservandae. Quae inter eas maxime memorabiles sunt, delineandae, pingendae, vel cera efformandae. Postremo sectionis historiam cum ea morbi, nec non cum similibus casibus ab auctoribus descriptis, sedulo comparare, et differentias probe adnotare juvat. Maxime autem cavendum, ne pro caussa morbi vel mortis effectus illius accipiamus.

Caussarum indigatio.

3. Ut rerum positiones omnes, quae aut evolutionem morborum praegressae sunt, aut eam comitantur, eruantur, ratio habenda est atmosphaerae, electricitatis, magnetismi, temperiei, solis, lunae, soli, progeniei aquarum, incolarum, religionis, superstitionis, temperamenti individuorum, vitiorum haereditariorum, congenitorum, esculentorum, potulentorum, motus et quietis, somni, ac vigiliarum, excretionum, et retentionum, muneris, animi pathematum, contagiorum, miasmatum, venenorum, pharmacorum antea cum damno in usum deductorum, nec non morborum animalia domestica inter, et vegetabilia late regnantium. At non reticendum, licet origo plurimorum morborum in rebus hic expositis quaeri possit, attamen permultas mor-

(25) *Anweisung zu zweckmasigen und zierlichen Ldichen ofnungen und Untersuchungen. Prag.* 1802. 8.

borum caussas, praesertim praedisponentes adhuc latere. Saepe saepius saltem, sine ulla patente caussa, morbi late per provincias grassantes conspiciuntur. Hoc in casu extra dubitationis aleam positum est, in atmosphaera, aut in rebus aliis nos ambientibus, ignota morborum semina inesse, quae instrumentis physicis hucusque cognitis non subjiciuntur, quaeque tantummodo ex effectibus in corpus humanum cognosci possunt. Certe, ut arbitror, ipsum corpus humanum aegrotans physicis optimum instrumentum meteorologicum exhibere posset. Medici autem incognitas illas aeque ac cognitas atmosphaerae, aut aliarum rerum nos ambientium conditiones, *constitutiones* sive *annuas*, sive *epidemicas* vocant, ac in earum natura ex effectibus eruenda jure toti sunt.

Diagnosis.

4. Diuturna et indefessa observatio symptomatum medicis facultatem impertitur ea interpretandi, deindeque sedem et indolem morborum plus minus secure determinandi, id est *judicium de morbo* ferendi. At non existimandum, judicium de morbo solum ex interpretatione symptomatum (*semiotica*) constitui posse; nam et caussarum morbum gignentium consideratio (*aetiologia*) in auxilium vocari debet. Hujusmodi vero judicium fertur aut de

morbo antecedente (*anamnestica*), aut de praesente (*diagnosis*), aut de futuro sive de praesentis morbi exitu (*prognosis*).

An semiotica aut aetiologia ad diagnosin instituendam magis inserviant.

5. Disceptatio inter medicos orta est, semiotica, an aetiologia tutius diagnosi instituendae inserviat. Crediderim, nil certi hac in re proferri posse, et pro re nata nunc symptomata, nunc caussas, nunc ambo simul morbi sedem, et naturam revelare. Signa morborum sane fallacia sunt, praesertim dum separatim considerantur. Verum investigatio caussarum nequaquam certior. Non tantum enim plurimae morborum caussae omnino nos fugiunt (26), sed vel ex iis nonnullae interdum, quae in genere pro caussis morborum jure haberi possent, etsi praesentes morbum, de quo agitur, haud excitarunt. Porro caussae, quae morbum produxisse videntur, saepe saepius eum tantum excitarunt. Quamobrem cavendum, ne ex modo plus minus patente caussarum apparentium de intima morborum natura praepostere judicemus. Haec utplurimum ab ignotis, et absconditis caussis determinatur, in morbis scilicet acutis potissimum a constitutione annua, vel epidemica;

(26) No. 3.

in chronicis praesertim a constitutione corporis, a vitio haereditario etc. Quare nil magis commune, quam quod eaedem prorsus caussae, pro varia, sive annua, sive epidemica, sive aegrorum constitutione, morbos indolis omnino diversae excitent.

Distinctio morborum.

6. Non semper, quamvis omnia rite ad trutinam revocata fuerint, de praesentia certi determinati morbi tutum statuere licet judicium. Saepe dubitari solummodo potest de hoc, aut altero morbo latente. Tanta est nonnunquam morborum re ipsa inter se maxime diversorum, apparens similitudo. Ast ipsa haec dubitandi ratio jam multum utilitatis affert, cogit scilicet medicum, ut omnes animi vires ad dubia diluenda impendat. In distinguendis sane inter se morbis similibus praecipuum diagnoseos officium versatur. Magni hac in re fuerunt Fothergill, Millar, Heberden, Burserius, et Wichmann, quorum hic praesertim viam ad diagnosin excolendam, proprio exemplo, luculenter patefecit (27). Ejus exemplum feliciter secuti sunt Dreyssig (28), Schmalz (29).

(27) Wichmann. Op. cit. § IX. 8. Not. 13.

(28) *Handbuch der medicinischen Diagnostik. Erfurt.* 1803 8. Vol. 2.

(29) *Verzuch einer medicinisch-chirurgischen Diagnostik. in Tabellen. Dresden* 1818. fol.

Quomodo de indole morborum judicandum.

7. Summa vero diagnosis difficultas non tam in varia morborum sede detegenda, quam in eorum diversa *indole* eruenda, locatur. Est autem indoles unius, ejusdemque morbi saepe varia pro varia annua, epidemica, corporisque constitutione, ut experientia aperte testatur. Utinam ex eadem, in quo reapse diversitas hujus indolis, sive morborum caussae proximae consistat, palam fieret! Si enim sophistarum, jatrochemicorum, ceterorumque hypothesibus valedicamus, quid superest, quam ut candide fateamur, nos caussas intimas et primoprimas morborum fere omnino ignorare? Hoc interim non impedit, quominus generales quasdam ideas de praecipuis morborum conditionibus, sive diathesibus nobis comparemus, saltem quatenus necessarium est ad curam morborum suscipiendam, et proprias observationes ceteris patefaciendas. Quomodo vero hac in re incedendum sit, sequentia docebunt.

§. XII.

Diathesis inflammatoria.

1. Nemo inficiabitur, dari seriem morborum, qui in sensus incurrunt per temperaturam corporis plus aequo majorem, per pulsum frequen-

tiorem, plenum, durum, et constantem: per oculos micantes, urinam igneam, aliaque symptomata plus minusve constantia, et a varia morbi vi, et sede praecipue pendentia. Neque quispiam negabit, talem morborum seriem, favente annua vel epidemica constitutione, aetati, sexui, et temperamento nulli parcere, in genere vero, praecipue in junioribus, masculis, et plethoricis evolvi, praesertim flante borea, sub tepore vernali inprimis in regionibus montosis, ab ardentibus radiis solaribus, ab alimentis plus aequo nutrientibus, a liquoribus fermentatis, a motu corporis, animique nimio, a vigiliis, ab haemorrhagiis, aliisque evacuationibus suppressis, a contagiis, a laesionibus externis etc. Nec dubio subjicitur, aegros hisce in casibus ab irritantibus, et calefacientibus male affici, sublevari autem ab evacuationibus spontaneis, praesertim a venae sectione, hirudinibus, cucurbitulis scarificantibus, nitrate potassae, temperie frigidiuscula, victu tenui, vegetabili, potione copiosa subacida, aquea, lenibus laxantibus etc. Haec cum ita sint, restat ut tali morborum generi nomen imponatur. Retinebimus antiquissimum illud, atque magis receptum *diatheseos inflammatoriae*, quin in intima hujus diatheseos natura eruenda tempus teramus, quin scilicet investigemus, utrum ea sita sit in effervescentia,

aut lentore humorum, an in solidorum aucta actione, an in virium vitalium excessu, an in oxygenii abundantia etc.

Diathesis rheumatica.

2. Subitaneae temperiei mutationes, praecipue noctes frigidae dies calidos sequentes, frigus humidum, vestium levitas, transpiratio citra consuetudinem incaute suppressa, annua demum constitutio morborum genus, ut experientia docet, saepe gignunt infensum systemati cutaneo, musculis, et membranae internae tum narium, tum faucium, tum bronchiorum, tum intestinorum etc., quod notum fit ex doloribus artuum, musculorum, articulorum, capitisque, locum facile mutantibus. Non minus eadem rerum magistra experientia docet, morborum hujusmodi genus ab initio, et in vehementiori mali gradu, ab irritantibus et calefacientibus exasperari, a contrariis sublevari: tardius vero, aut et ab initio in leviori malo, diapnoico regimine, praesertim antimonialium, vesicatoriorum, diureticorum ope debellari. Appellamus hoc morborum genus *diathesin rheumaticam* vel *catarrhalem*, quin hypothesibus circa caussam proximam illius, utrum videlicet in acredine specifica humorum, an in vitio solidorum consistat, indulgeamus.

Diathesis gastrica.

3. Lingua spurca, oris amarities, halitus foe-

tens, anorexia, ructus nidorosi, nausea, vomituritio, vomitus, tensio hypochondriorum, flatus ova putrida olentes, irregularitas alvi, materiae depositae faecales biliosae, mucosae, verminosae, haec, inquam, omnia laesam tubi intestinalis, et viscerum chylopojeticorum functionem patefaciunt. Occurrit talis morbus, favente peculiari annua constitutione, praecipue tempore aestivo, post usum alimentorum copia, vel qualitate peccantium, ex ira, moerore, tristitia, vita sedentaria, contagiis, venenis etc. Nocent tunc quae tubi intestinalis spontaneas evacuationes cohibent, aut eum magis magisque obruunt; juvant contraria, praecipue abstinentia a cibis, saltem eorum electio, et moderatus usus, potus subacidus, sic dicta resolventia, et pro re nata, emetica, laxantia, purgantia, drastica, etc. *Diathesis gastrica.*

Diathesis arthritica.

4. Aliquando vero tubus intestinalis, visceraque chylopojetica chronico potius modo laborant; superveniunt serius ocyus dolores artuum, praecipue ad articulos, nunc vagantes, nunc stantes. Aliquando loca affecta, praesertim cutis, exhibent inflammationis vestigia, impetigines, vel et senescente morbo, concretiones, sive tophos, qui motum impediunt, magnamque analogiam cum calculis urinae habent, vel cum

ipsis simul adsunt. Morbus, de quo sermo est, saepe saepius haereditarius excitatur a repetitis erroribus in diaeta, a culina aulica, abusu liquorum fermentatorum, vita sedentaria, luxuriosa, ab animi pathematibus, praesertim ira, spe frustrata etc. Subitaneae temperiei mutationes, hyems rigida, maximique aestatis calores morbum aggravant; leniunt temperies constans, sicca, moderata, diaeta electa, amaricantia, aromatica, narcotica, aquae super-carbonatem potassae, vel sodae continentes, balnea tepida, sulphurea, ulcera artificialia, antimonialia etc. *Diathesis arthritica.*

Diathesis atonica.

5. Aliquando nil morbosi, sed tantum totius corporis, vel partis cujusdam debilitas occurrit, vel praesens functionum laesio aperte ex virium jactura emergit. Hoc praesertim post diuturnos morbos, sanguinis, aliorumque humorum jacturam, inediam, tristitiam, vel aetate provecta contingere solet. Omnia, quae corporis vires infringunt, morbum augent; levant diaeta lauta, vinum, alcohol, corporis exercitium, animi recreatio, tonica, etc. Hic vere est morbi status, quem, etiamsi a qualibet hypothesi alieni, ex debilitate derivare possumus. *Diathesis atonica.*

Diathesis scorbutica.

6. Alimentorum penuria, vel prava indoles, aër occlusus, forsan lucis defectus, temperies humida, frigidaque, animi tristitia, timor, patriae desiderium, quies corporis nimia, sed et nimia praesertim inconsueta defatigatio, abusus mercurii, endemica, imo et epidemica, nec non haereditaria constitutio morbum gignere solent, cujus praecipua symptomata sunt: insignis virium prostratio, cordis palpitatio abnormis, ecchymomata, haemorrhagiae, gingivae sanguinem fundentes, fungosae: dentes vacillantes, halitus foetens, spiritus dejectus, artuum dolores, lienis moles aucta, impetigines variae etc. Morbus hic a diathesi atonica, cum qua multa communia habere videtur, differt in hoc quod difficulter solis remediis tonicis curetur, longe autem facilius victu vegetabili, recenti, praesertim herbis ex classe tetradynamiae petitis, succo mali medici, quae remedia alias in diathesi atonica nullius momenti, praesentem morbum mirum in modum debellant, saltem nisi jam ad extremum devenerit. *Diathesis scorbutica.*

Diathesis typhodes.

7. Plurimorum, inprimis impurorum hominum cohabitatio in locis angustis, occlusis, peculiaris annua constitutio, inedia, animi pathe-

mata, in genere bellorum injuriae, vigiliae protractae, humorum jactura, morbi alii, praesertim inflammatorii, et gastrici neglecti, haec, inquam, morbo acuto, saepissime contagioso originem praebere solent, qui sequentibus symptomatibus sese prodit: magna scilicet virium prostratione, systematis nervorum labefactatione, symptomatum contradictione, evacuationibus colliquativis, peticulis, miliaribus, aphthis, parotidibus, anthracibus etc. Morbus hic plus minusve determinato tempore ad curriculum suum absolvendum indiget, quod saepe nullis fere adhibitis pharmacis, feliciter; alias, omni artis auxilio irrito, infeliciter terminatur. Sunt autem haec subsidia pro varia rerum positione varia. Ignota corporis constitutio, ex qua morbus, de quo agitur, pullulat, generatim *diatheseos typhodis* sub nomine determinatur.

Diathesis periodica.

8. Alter morbus proteiformis aspectu, plus minusve acute decurrens, utplurimum frigore, calore, sudore, et apyrexia stipatus, periodice revertens, originem praecipue in paludum effluviis, sive incognita annua, aut epidemica constitutione agnoscit, qua vigente, quotquot sunt errores in sex rebus sic dictis non naturalibus eum excitare valent, sanaturque cortice cinchonae officinalis. Caussa proxima recondita

hujusmodi morbi, *diathesis periodica*; morbus ipse febris intermittens nuncupatur.

Diathesis spasmodica.

9. Nonnumquam systema nervosum, musculique imperio voluntatis subjecti statum abnormem exhibent, nimiam scilicet, irregularem, vel prostratam actionem. Caussae multifariae huic malo ansam porrigere valent: praecipue inter eas sunt vitium haereditarium, temperamentum nervosum, clima non tantum humidum, calidumque, verum etiam nimis frigidum, animi pathemata, mentis intensio immodica, abusus veneris, mercurii, humorum jactura, morbi cutanei praepostere sanati etc. Morbi systematis nervosi, nisi ex alia diathesi oriantur, et secundarii sint, remedia sic dicta antispasmodica expostulant, inter quae narcotica, oxyda quaedam metallorum, et volatilia primum locum obtinent. Caussam proximam horum morborum in *diathesi spasmodica* ponimus.

Diathesis scrophulosa.

10. Systema vasorum lymphaticorum, praecipue aetate infantili, saepe saepius obstructiones, tumores glandularum ad illud pertinentium offert, quae ad chronicam inflammationem, et exulcerationem quammaxime pronae cernuntur. Hoc vitio inprimis laborant qui cute tenera,

alba, ingenio praecoci, labio superiori tumido, abdomine magno, alvo irregulari, etc. instructi sunt, et formositatem inconsuetam praeseferunt. Morbus, de quo sermo est, saepe numero haereditario jure acquiritur, evolviturque per vitam sedentariam, aërem reclusum, inediam, humiditatem etc. Nocent quae vires frangunt, sed et ea, quae vehementius irritant, vel calefaciunt. Pro re nata, balnea nunc tepida, nunc frigida, corporis debitum exercitium, diaeta nutriens, decoctum glandium quercus tostarum, murias hydrargyri, calcis, baritae, extractum herbae conii maculati etc. hic indicantur. Quamvis diathesis atonica in hujusmodi morbum influxum exercere videatur, in illo tamen quid specifici inesse non dubitamus, cui nomen *diatheseos scrophulosae*, consensu omnium, imponimus. Scrophulosae diatheseos modificationem alter morbus infantilis, *rachitis* scilicet, sistere videtur, de qua debito loco.

Diathesis carcinomatica.

11. Praecipue glandulae conglomeratae, aetate inprimis provectiori, duritiae speciei subjiciuntur, quae serius ocyus in funestissimam inflammationem, et exulcerationem sensim sensimque transit, ac per febrem lentam, morte crudeli terminatur. Excitant hoc vitium in praedispositis violentiae externae, animi pathemata,

abusus alcoholis, lues venerea, evacuationes consuetae suppressae etc. Praeter balnea tepida, fomentationes emollientes, muriatem hydrargyri, arsenicum, herbam conii maculati, aliorumque quorundam vegetabilium ex classe narcoticorum, incertissima sane remedia, ars nil aliud suppeditat, quam extirpationem partis affectae. Terribile istiusmodi vitium (scirrhus, cancer) nomine *diatheseos carcinomaticae* designatur.

Diathesis venerea.

12. A peculiari contagio parti corporis, vel nuda, vel tenui epidermide instructae admoto, praevia exulceratione, vel inflammatione indolis specificae, morbus totius systematis oriri solet faucium nasique ulceribus, doloribus osteocopis, praesertim nocturnis, exostosibus, maculis cutaneis cupreis stipatus, qui certum in mercurio remedium invenit, atque ex propria *diathesi*, quae *venerea* nuncupatur, ortum trahit.

Aliae diatheses.

13. En praecipuas diatheses, quae morborum fere omnium germina in se continent. Alias nonnullas diatheses silentio, brevitatis caussa, hic praeterimus, v. c. diatheses hydrophobiae, trichomatis, pellagrae, herpetis, leprae etc. Ita et suo tantum loco signa diagnostica

harum diathesium illustrabuntur, ac ipsa diathesium phaenomena accuratius tradentur. Hic sat erit meminisse, praeter symptomatum, et caussarum considerationem, nil magis diagnosim diathesium adjuvare, quam animadversio effectuum vel bonorum, vel malorum methodi medendi.

§. XIII.

De complicatione diathesium.

1. Morborum diatheses non semper ita simplices occurrunt, uti eas hucusque delineavimus; saepius enim symptomata plurimarum diathesium uno eodemque in aegro simul cernuntur. Morbus, hoc in casu, *complicatus* dicitur.

Doctrinae dignitas.

2. Doctrina complicationum morborum in praxi magni momenti est. Remedia etenim, quae pro una diathesi utiliter in auxilium vocarentur, si simplex esset, altera obstante, effectum producere suum nequeunt. Ita, exempli caussa, cortex cinchonae in febre intermittente sine fructu, imo cum damno in auxilium ducitur, latente forte gastrica complicatione etc. Primae lineae doctrinae complicationis morborum in operibus Huxhami et Valcarenghi deteguntur, rite animadvertente egregio Sprengel (30).

(30) Op. cit. 5. Vol. VIII. 486.

Quot complicationum genera.

3. Complicatio diathesium bifaria, *realis* scilicet et *apparens*. *Complicationem realem* adesse dicimus, dum morbi origine, et indole inter se diversi, uno eodemque tempore, eodemque in aegro connubium ineunt, v. c. scorbutus cum syphilitide etc. *Complicatio apparens* ea est, ubi simplicissimus morbus tam vehementer unum e systematibus corporis aggreditur, ut per consensus leges et alterum afficiat, excitetque symptomata alterius diatheseos, re ipsa tamen nequaquam praesentis. Sic in vehementi morbo inflammatorio non raro caterva symptomatum gastricorum, vel spasmodicorum observatur, quae, devicta vi diatheseos inflammatoriae, sponte evanescit, quin methodus alias in diathesi gastrica aut spasmodica indicata, in auxilium trahatur. Simili pacto in morbis spasmodicis interdum cordis, et arteriarum tumultus ita excitatur, ut praesentiam diatheseos inflammatoriae jurejurando affirmares, cujus tamen absentia ex eo elucet, quod tumultus ille, omissis omnino auxiliis antiphlogisticis, per remedia antispasmodica sedatur.

Complicatio apparens in realem transire potest.

4. Complicatio prius apparens tractu temporis facile realis fieri potest. Exemplum rem clariorem reddet. Vigente diathesi inflammato-

ria, aliquando tubus intestinalis, et viscera chylopojetica in consensum trahuntur, quo fit, ut plurima symptomata diatheseos gastricae in conspectum veniant: *complicatio apparens.* At paullo post quaedam horum viscerum consensus legibus obediendo, secretiones morbosas patiuntur, quae tubum intestinalem obruunt, et veram diathesim gastricam generant: *complicatio realis*, quam *secundariam* vocare nil impedit.

An diatheses oppositae indolis complicari possint.

5. Quaesitum est, an duae diatheses non solum diversae, sed e diametro *oppositae* uno eodemque tempore, in uno eodemque aegro complicari possint, nec ne? Quaestio hujusmodi ex Brunonis systemate originem trahit, cujus principia impossibilitatem complicationis stheniae cum asthenia patefaciunt. At valedicendo hisce hypothesibus, ante omnia examinandum, utrum dentur diatheses *e diametro oppositae.* Morbi quidem inflammatorii maxime a morbis ex atonia *differunt*, utrum vero iis *e diametro oppositi* sint, ignoratur. Si nempe caussam diatheseos atonicae in mera debilitate quaeri posse credis, saltem caussam diatheseos inflammatoriae non in simplici virium vitalium augmento invenies. Magis adhuc ii hallucinantur, qui diathesin inflammatoriam diathesi typhodi opposi-

tam existimant, atque igitur earum complicationem pro impossibili declarant; latet enim caussa proxima utriusque diatheseos. Et hic experientiae standum, quae cujusvis diatheseos complicationem cum alia excludere haud videtur.

§. XIV.

Nosologia.

1. Morborum doctrinam faciliorem reddere crediderunt nonnulli egregios inter medicos, morbos, vegetabilium instar, in classes, ordines, genera, species, et varietates dividendo. Excelluerunt hoc ingenioso in opere SAUVAGES (31), CULLEN (32), R. A. VOGEL (33), PH. PINEL (34), RICHERAND (35) etc.

Nosologiae utilitas.

2. Nosologiae sane multum ad memoriam sublevandam contribuunt, nam earum ope uno oculi ictu series omnium morborum conspicitur. Insuper eaedem iis, qui ex propria experien-

(31) Nosologia methodica. Amst. 1768.

(32) Synopsis nosologiae methodicae. Edinburgh. 1769.

(33) Definitiones generum morborum. Goett. 1764.

(34) *Nosographie philosophique, ou methode de l'analyse appliquée à la médecine.* Ed. III. rev. corr. et augment. Paris 1807. 8. Vol. III.

(35) Vid. *Mémoires de la société médicale d'émulation. T.* II. p. 33.

tia sibi systema praxeos medicae construere nequeunt, filum, secundum quod ideas et observationes ordinare possint, exhibent.

Nosologiae defectus.

3. Dolendum tantummodo, quod consueta brevitas nosologiarum exactam characterum, quibus morborum genera et species a se invicem distinguuntur, descriptionem plerumque excludat, unde fit, ut nosologiae medico praxin exercenti parum utilitatis afferant. Fere enim inutiles fiunt morborum divisiones, nisi modus, varias eorum species a se invicem distinguendi simul suppeditetur. Huic principio innixi in decursu hujus operis non plures morborum species statuimus, quam quas ad ipsos aegrorum lectulos distinguere valemus.

§. XV.

Prognosis.

1. Scientia, qua pollent medici exitum morborum praesagiendi, divinum quidpiam sapit, atque haud immerito vulgus eam admiratur. Et sane nil magis medicum morbum cognovisse, ideoque opportuniora remedia in casu porrexisse testatur, quam eventus mali praesagio respondens. At quam difficilis est ars prognostica rite instituendi!

Prognosis fontes.

2. Tutissimus revera prognoseos fons est diagnosis. Cognita enim morbi sede et indole, non procul absumus ab illius signis circa exitum interpretandis. Sed, vel deficiente diagnoseos lumine, ex sola semiotica non raro prognosin desumere possumus. Ita mirum nonnunquam in modum sacerdotes, aegrorum custodes, aliique infirmorum lectulis saepe adstantes de exitu morborum ex unis eorundem signis praesagiunt. Sicuti enim interpretatio symptomatum ad diagnosin formandam maxime confert (36); ita et ad prognosin instituendam. Ad semiotices doctrinam assequendam diu noctuque pervolvite insignia opera Hippocratis (37), Galeni (38), Baglivii (39), Kleinii (40), Gruneri (41), Sprengelii (42), Broussoneti (43), Doublii (44) etc., atque toti in morbis observandis estote.

(36) §. IX. 5.

(37) Lib. praedict. Lib. aphorism.

(38) Comment. ad Hipp.

(39) Op. cit. (§. IX. 2.) Lib. I. Cap. IX.

(40) Interpres clinicus. S. de morbor. int. exitu in sanitat. etc. Lips. 753. 8. Editionem novissimam paravit Double. Par. 1809.

(41) Semioticae physiologiam et pathologiam generalem complexa. Halae Magdeburgicae 1775. 8. Versionem germanicam, eamque emendationem et auctam edidit Auctor ipse. Jen. 1794. 8.

(42) *Hanbuch der Semiotik. Halle.* 1801. 8.

(43) *Tableau élémentaire de la sémiotique. Montpellier. an* VI.

(44) Variis in locis diarii : *Journal général de médecine etc. rédigé par Mr.* Sedillot.

De morborum successionibus.

3. Prognosis vero non in praesagienda tantum vita vel morte versatur; amplectitur enim et *conversionem unius morbi in alterum.* Elementa doctrinae hujusmodi jam in operibus divi HIPPOCRATIS obveniunt (45); ipsa vero doctrina magno BAGLIVIO debetur (46). Transitus interea unius morbi in alterum est duplicis generis: vel enim prior morbus cessat, novo exoriente (*metastasis*), vel alter morbus pristino accedit (*epigenoma*). Metastaseos doctrina pathologiae potius generalis, quam specialis objectum sistit. Sufficiat igitur hic meminisse, quod, quomodo metastasium origo explicetur (de quo argumento docte egerunt Cl. REIL (47), BRANDIS (48), BICHAT (49) etc.), metastases ipsae medico practico erunt maxime memorabiles, et omni sua attentione dignae.

Cautelae.

4. Prognosin in genere dum instituis, potissimum respicias oportet ad clima, ad modum

(45) De morbis mulierum l. I. num. 45. 46. 62. 87. 92.

(46) Op. cit. (§. IX. 2.) Specimen trium reliquorum morborum de fibra motrice et morbosa. Cap. I. De morb. successionibus.

(47) *Journal der Erfindungen.* XI. St. p. 78. *Ueber Fieber.* S. 181. -- 200.

(48) *Versuch über die Metastasen. Hannov.* 798. 8.

(49) *Anatomie générale appliquée à la physiologie et à la médecine. Paris* 1801. p. 83.

vivendi, ad constitutionem annuam vel epidemicam, nec non ad stirpem aegrorum. Porro cave, ne temperamentum, et aetas tua in prognosin influant (50). Ad clima quod attinet, quum in plurimis Europae regionibus praxin exercuerim, non raro ipse expertus sum, quantum unius ejusdemque morbi periculum pro vario climate differat (51). In genere qui sub alieno coelo vivunt, gravius a morbis corripiuntur, quam indigenae. Idem dicendum de iis, qui crapulae, ebrietati dediti sunt, qui venere abutuntur, aut a gravibus animi pathematibus vexantur. Valetudinarii saepe a violentissimis morbis facilius sanantur, quam robusti aliunde homines. Constitutio annua, èpidemica non secus regit prognosin morborum acutorum, ac stirps aegrorum regit eam chronicorum. De utrisque speciatim.

De prognosis in acutis.

5. In morbis acutis prognosis potissimum difficilis, quoniam eventus praesagio est proximus. Gravissimi enim morbi acuti saepe sub larva mitissimi mali incipiunt, aut viceversa. Quodsi

(50) Saepius medicos hilares et juvenes bona, melancholicos vero et senes mala immerito praesagivisse observavi.

(51) Nullibi e. c. peripneumonias tanto periculo stipatas vidi, quam in Insubria; nullibi febres typhodes tam lethales, quam Viennae; nullibi phthisin pulmonalem tam celeriter mortem accelerantem, et morbos arthriticos tam rebelles, quam in Lithuania etc.

medicus tunc aut levem, aut gravem morbum praedixerit, hoc illi maximo vitio verti solet. Nemo melius praecepta circa prognosin in morbis acutis tradidit Cl. PEZOLDIO (52). Securum, quoad fieri potest, uti jam monuimus, prognosticon hisce in morbis ex constitutione annua, vel epidemica desumitur. Constitutiones videlicet hujusmodi ita in indolem eorum influunt, ut saepe signa, quae in quadam epidemia lethalia sunt, in alia optimi augurii cernantur. Si tandem quis in re medica indubius canon datur, is erit: « quando symptomata, quae tantum versus finem morborum acutorum cum levamine occurrere solent, (e. c. sudor universalis, urina sedimentum exhibens, sputa, surditas, somnus etc.) jam ab initio eorum observantur, gravissimam, vel saltem rebellem aegrotationem expecta ». Paucas enim exceptiones in diuturna praxi numeravi. E contra non parum ambigua sunt quae circa criseos doctrinam a multis traduntur.

Crises.

6. Extra dubitationis aleam positum quidem est, morbos acutos praescriptum curriculum plerumque absolvere, et determinatis fere diebus (*dies critici*), quarta scilicet, septima, undecima, decima quarta, et vigesima prima, vel

(52) De prognosi in febribus acutis. Lips. 1778. 8.

sanitate, vel morte terminari, vel in alium morbum transire. Similiter utpote veritati consonum observatur, exitum felicem morborum acutorum saepissime cum evacuatione una, vel altera, aut, uti Cl. Reil optime docuit (53), saltem cum phaenomeno aliquo exstraordinario conjungi (*crisis*). Ita nequaquam in dubium vocare licet, plerumque varias crises per varia et propria phaenomena (*signa critica*) adnuntiari; e. c. *sudorem criticum* per cutem mollem, prurientem cum pulsu undoso quaque fere pulsatione crescente, et alvo clausa, urinaque pauca: *urinam criticam* per ventrem constipatum, sudorem nullum, aut exiguum, deponendi lotium frequentem stimulum, et ardorem mingendo: *diarrhoeam criticam* per borborygmos, dolores abdominis intercurrentes, frequentes ventris crepitus cum pulsu tam vi quam rhythmo, inaequali: *epistaxin criticam* per pruritum narium, pulsum dicrotum, faciem rubram, et alternatim pallidam: *somnum criticum* per imminutionem inquietudinis, respirationem lentiorem, profundiorem, desiderium obscuritatis, silentii etc. Nec negari potest, de majori periculo saepe conjecturari posse, si in morbo acuto fortiores exacerbationes alternis diebus exhibente, fortior

(53) Memorabilia clinica. Vol. I. Fasc. 2 p. 156. Hal. 1794. *Ueber Fieber*, 1. Th. S. 169.

exacerbatio eam in diem incidat, qua morbus solvi debet, et viceversa; cui observationi quodammodo doctrina *dierum indicantium* innititur. At longe abest, ut haec omnia ita certa sint, ut iis systema superstrui possit. Primum enim animadvertere oportet, initia morborum saepe valde obscura esse, et adamussim illa determinare ab arbitrio tantum medici pendere. Quoad signa critica sane iis nil fallacius, praesertim si de pulsu quaestio sit. Vix enim umbram pulsuum semioticae, qualis a Bordeu (54), Foucquet (55), Nikel (56), de Luque, Solano (57) etc. tradita est, detegere potui (58). Nec ea, quae in diebus, sic dictis, indicantibus occurrunt, plus nobis impertiuntur, quam conjecturandi facultatem. Verum tamen fateor, me doctrinam criseos, et dierum criticorum in genere eo magis confirmatam observasse, quo

(54) *Recherches sur les pouls par rapport aux crises. Paris* 1772.

(55) *Essai sur les pouls par rapport aux affections des principaux organes. Paris* 1767.

(56) Novae observationes circa crisium praedictionem ex pulsu. Viennae 1753. 8.

(57) Idioma della natura lesa.

(58) Operae pretium esset, Persarum et Sinensium observationes circa pulsuum doctrinam propius nosse. Limites Imperii Rossici opportunitatem ad hanc notitiam acquirendam offerunt. Videatur interim, quid Gmelin referat: *Reise durch Russland.* 3. B. S. 8.

robustiores sunt aegri, quo simplicior eorum vivendi ratio, quoque minus intempestivis pharmacis obruuntur. At etsi nulla fides adhibeatur signis et diebus criticis; attamen non video, quid detrimenti inde oriatur, si accuratam eorum rationem habeamus, quin imo nil magis animum medentis ad exactam symptomatum, et decursus morbi observationem impellit, quam ratio hujusmodi. Solum cavendum, ne incidamus in errores antiquorum, qui scilicet ob vanum saepe timorem nisus criticos ope medicamentorum perturbandi, morbos gravissimos naturae committebant, ad quorum sanationem praestantissima remedia in arte nostra inveniri jure gloriamur.

Prognosis in morbis chronicis.

7. In morbis chronicis prognosis plerumque difficilior adhuc quam in acutis esset, nisi errores forte ab initio in praesagio commissos tractu temporis sensim sensimque corrigere valeremus. Nil fere majoris momenti in prognosi morborum chronicorum est, quam ad stirpem aegrorum animum convertere; sunt enim familiae, quae, ut ita dicam, longaevitatis privilegio fruuntur; aliae praematurae morti damnantur. Saepe periculum, et diuturnitas morborum non tam ab ipsa aegrotatione, quam a rebus adventitiis, v. c. animi pathematibus, domicilio humido,

etc. pendent, unde prognosis conditionaliter instituenda. De prognosi loqui non desinam, quin vobis commendem hac de re opera insignia CELSI (59), PROSPERI ALPINI (60), et JODOCI LOMMII (61).

§. XI.

Therapiae divisio.

1. Therapia triplex. Respicit enim *artem prophylacticam, curam morbi*, et *convalescentium.*

Prophylactica.

2. *Prophylactica* est vel *publica*, quatenus populum integrum, incolas provinciae, urbis, pagi, ab imminentibus morbis defendere satagit: vel *privata*, quatenus idem periculum ab una alterave familia, vel ab individuis avertere studet. *Prophylactica publica politiam medicam* constituit, atque eam in hujus operis decursu verbo tantum ob rerum tradendarum nexum attingam. *Prophylactica privata*, ubi ea quidpiam peculiare offerat, therapiae morborum constanter praemittetur. Et hic locus est animadvertendi, nil dignitatem officii medici magis

(59) Lib. II Praefat.

(60) De praesagienda vita et morte aegrotantium. Hamb. 1734. 4.

(61) Observationum medicinalium libri III. Amst. 1745. 8.

extollere quam nisus ipse medicorum, qui morbos antevertere conantur, propriam utilitatem saluti publicae postponendo. Effato tamen: « facilius est morbos futuros avertere, quam » praesentes curare », non indistincte subscribimus; tanta enim est interdum constitutionis annuae in morbis epidemicis producendis vis, ut, cum indoles eorum maligna non est, facilius sit morbos praesentes sanare, quam futuros praecavere. Nullibi vero major prophylacticae potestas observatur, quam in morbis contagiosis cohibendis. Quamobrem indagatio legum, secundum quas contagia propagantur et arceantur, summi momenti est.

Cardines praecipui prophylacticae.

3. Egregie de prophylactica egit vir conspicuus Lentin (62). En aliquos generales cardines hujus doctrinae. Consuetudinis, secundae sane naturae, constitutionis sive annuae sive epidemicae, summa ratio habenda est in morbis avertendis. Quamobrem, vigente quocunque morbo epidemico, regula generalis esto, consuetudinem sequi, etiamsi haec non omnino praeceptis diaeteticis consona sit. In extraneo climate, quousque fieri potest, consuetudo cum modo

(62) *Beobachtungen der epidemischen Krankheiten.* S. 118. *Beitrage* 2. *B.*

vivendi incolarum concilianda. Porro pro indole varia constitutionis regnantis varia prophylaxis. Ast cavendum, ne principia illius a priori desumantur, sed, si fieri potest, ab experientia jam circa morbum regnantem depromta; ipsa enim analogia ab aliis constitutionibus similibus deducta aliquando in errorem ducit.

Cura praeservativa.

4. *Curae praeservativae* sano prorsus in homine locum non esse existimamus, nec dolendum, *curas* sic dictas *vernales* in desuetudinem abiisse. Interea praedispositi jam ad morbos nullum aliud anni tempus ad semina latentia mali eradicanda aptius invenient verno.

Cura morbi.

5. Dum *curam morbi* suscipimus, primum est caussas, quae illi ansam porrexisse videntur, quoad fieri potest, removere. Porro investigandum, quid in morbo, de quo agitur, naturae vires, quid tempus, quid regimen, quid pharmaca valeant. Media enim via eos inter medicos ineunda, qui morborum curam naturae omnino committunt (63), et qui eam violenter suscipiunt.

Medicina expectatrix.

6. Populos nonnullos rusticos, plebemque

(63) *Médecine expectante par* C. Vitet. *Lyon* 1803.

auxilio medicorum orbatam a morbis gravissimis unius naturae viribus liberari, quotidie conspicimus. Item sub variis omnino, et e diametro oppositis curandi methodis, aegros uno eodemque morbo laborantes, sanitati restitutos observamus. Haec satis docent, multorum morborum eventum plus a natura, quam ab arte pendere. Ac revera, quo magis in praxi medica proficimus, eo magis huic opinioni adsentiri cogimur, praecipue quod attinet ad curam febrium continuarum et exanthematum; hic enim saepe saepius magis regimine diaetetico, et symptomatum lenimento prosumus, quam potentissimis pharmacis, quae sub consueto morbi decursu plerumque nil juvant, non raro aperte nocent.

Medicina activa.

7. Non desunt autem morbi, e. c. febres intermittentes perniciosae, inflammationes viscerum, cholera, lues venerea, aliique nonnulli morbi chronici, qui sibi ipsis relicti certissime mortem properant, vel saltem in alios morbos lethales transeunt. Hic locus est, ut sine mora, et viriliter potiora remedia in auxilium deducantur. Quapropter segnities medentis maxime condemnanda foret.

Sola experientia limites hic determinat.

8. Una autem experientia indicare potest, quibusnam in morbis, et quibusnam sub cir-

cumstantiis medico plus minusve quiescendum, aut agendum sit. Cavete igitur, ne hac in re vanis medicorum hypothesibus aurem praebeatis; indicationes enim therapeuticae nequaquam ex turbidissimo commentorum fonte hauriendae sunt.

Indicatio ex diagnosi.

9. Purissima sane indicationum scaturigo, *diagnosis*. Cognita enim morbi diathesi, methodus medendi sponte inde fluit, aut saltem, quid ab ea expectandum sit, palam fit. Dolemus tantummodo, diagnoseos lumen nos in indicationibus eruendis, praesertim in morbis chronicis, non raro derelinquere!

Indicatio ex laedentibus et juvantibus.

10. Porro examen *juvantium* et *laedentium* uberrimum saepe indicationum fontem constituit. Quin imo, illud diagnoseos verum lapidem praebet. At quam arduum aliquando est, de juvantibus et laedentibus judicium ferre! Quot non hîc errandi occasiones undique praesto sunt! Ut eas, quoad fieri licet, evitemus, probe decursum consuetum morborum, eorum scilicet initium, incrementum, acmen, decrementum, typum exacerbationum et remissionum, tum conditiones extrinsecas, accidentales, quae in aegros influere possunt, e. c. errores in diaeta, animi pathemata etc. nosse oportet. Plerumque

aegri de virtute pharmacorum sumptorum apprime judicant, saltem de iis, quae celeriter agunt. Cavendum postremo, ne medicus ab aegris remedia clam rejicientibus ludibrio habeatur.

Auxilia empirica.

11. Si ambo hucusque memorati fontes indicationum arescerent, ad *empirica* omnino *auxilia* confugiendum foret. Ut numerus eorum augeatur, vulgi observationes circa remedia domestica non spernendae, quin imo summi faciendae. Non enim obliviscendum, potiora remedia non ratiocinio, sed casui deberi. « Multa homines in museis excogitant, quae rationi consona, ac prorsus certa existimant, sed quando ad usum descendunt, non solum absurda, sed pene impossibilia deprehendunt. Contra quamplurima (praecipue si de curationibus et remediis loquamur), dum primo proponuntur, inutilia, rationique omnino contraria judicantur, vel quia hypothesi nostrae adamussim non quadrant, vel quia probabilem illorum rationem reddere nescimus: si tamen ad praxim, et experientiam revocentur, utilia, et certa experimur (64) ».

(64) Baglivi. Op. cit. (§. IX. 2. Not. 75.) Lib. I. Cap. XI. §. VII.

Remedia nova.

12. *Remedia nova*, vel saltem nondum satis ab experientia confirmata nisi cum summa cautela in usum ducenda. Etenim in genere eo minus ex iis periculum fieri debere censeo, quo major praesto est numerus remediorum simili vi pollentium, de quorum virtute experientia satis testatur. Juvat porro ingenium, et indolem hominis novum remedium proponentis nosse. Perutile vero censemus, remedia olim valde usitata, tractu autem temporis, quoniam ea regnantibus hypothesibus adversabantur, oblivioni tradita, iterum novis tentaminibus subjicere (65). Quocumque in casu nunquam aegro remedium exhibe, quod tu ipse, si illius locum tenêres, non sumeres.

Remediorum actio.

13. Nec tempus terendum in recondito pharmacorum agendi modo eruendo. Actio enim remediorum, quae sensuum imperium effugit, non minus quam caussae proximae morborum nos latet. Futilis ille labor disceptationibus innumeris sine ullo aegrorum emolumento locum dedit. Sed potius ad effectum pharmacorum attentio omnis dirigenda est, praecipue pro de-

(65) J. J. Loos *systemat. Beschreibung der ausser Gebrauch. gekommenen Arzneymittel. Darmst.* 1808. 8.

terminandis tum rerum positionibus, sub quibus variis in morbis ea conducunt vel nocent, tum pro cautelis sub eorum usu necessariis detegendis.

Pharmacorum consociatio, administratio.

14. Quo simplicius pharmaca administrabis, eo tutius incedes. Si excipiamus paucas formulas valde complicatas, quarum efficacia a seculorum experientia confirmatur, in quibusque ob id quidpiam immutare pro piaculo habemus, raro occasio multa pharmaca conjungendi sese offert. Utcumque res se habeat, pharmaca quantum fieri potest, sensibus grata, ac aegrorum facultatibus accommodata praescribi debent. Ultimi hujus praecepti inprimis, cum aegroti munificentia rei publicae, aut caritate civium curantur, non obliviscendum. Nil magis imbecillitatem medentis patefacit, quam continua mutatio pharmacorum, nilque aegrotantibus, praesertim in morbis chronicis, magis adversatur. Verum et huic oppositus error vitandus. Nec diu noctuque aeger pharmacis obrui debet. Potius mos mihi arridet, pharmaca, nisi valde volatilia sint, ter quaterve tantum nychthemeri curriculo porrigendi. Oportet vero, ut modus, quo pharmaca adhiberi debent, accuratissime praescribatur ita, ut nil aegri arbitrio relinquatur.

Regimen diaeteticum.

15. Dantur morbi, in quibus curandis phar-

maca, alii, in quibus regimen primum locum obtinet. Tyrones mei, mature scitote, multos morbos, praesertim chronicos longe certius sanari ciborum delectu, mutatione aëris, rusticatione, venatione, navigatione, equitatione, saltatione, musica, verbo debito sex rerum non naturalium usu, potissimum vero *aquis mineralibus*, quam pharmacorum acervo.

Convalescentiae cura.

16. Convalescentiam attingente aegroto, cura medici adhuc maxime necessaria, quam veritatem potissimum illustrarunt Fr. Hoffman (66), J. P. Frank (67), J. Malfatti (68) etc. Quivis sane morbus proprium convalescentiae genus plus minusve propriis periculis stipatum habet. Saepe eadem, quae morbum constituebat diathesis, ad convalescentiam usque protrahitur. Aliquando autem, praesertim ex àbusu remediorum, diathesis convalescentiae ab ea morbi omnino diversa. Quibusdam in convalescentiis usus pharmacorum ad omnibus numeris absolutam sanitatem usque requiritur; alias, vix convalescente aegro, pharmaca quotquot sunt su-

(66) Diss. de convalescentiae statu, ejusdem impedimentis et praesidiis. Halae 1734. 4.

(67) Orat. academ. de convalescentium tuenda valetudine in delect. opuscul. med. T. XII. p. 303.

(68) Vid. Roschlaubs *Magazin* 3. *B*. 3. *St*.

pervacanea, imo nociva. In genere cavendum, ne aegros nimis cito pro convalescentibus declaremus; ipsi vero convalescentes severo adhuc regimini subjiciendi, ne forte morbus recidivus medici indulgentiae tribuatur.

Medicina fucata.

17. Conclamato morbo saltem, ut symptomata moderentur, vitaque protrahatur, studendum est, in quo *fucata medicina* consistit. Ad symptomata autem moderanda nil faciendum, quod interea mortem properare possit, quamvis hoc, dum aeger multum patitur, durum et inhumanum videatur. Nec omnino effato: « melius est remedio ancipiti, quam nullo uti », favemus; quoniam id semper nobis proponere debemus, ut, ubi adjuvare non possumus, ibi saltem non noceamus. Aliter medicus morbo pejor. Quo minus vero a remediis praescriptis levamen obtinetur, eo major esto medici erga aegrum cura, ut videat miser, rebellem morbi conditionem defectui assiduitatis medici minime adscribendam esse. Nunquam aegroto sanationis spem absolute tollas, neque eum impudenter circa proprium statum in errorem ducas velim. Ceterae regulae prudentiam, et officium medici spectantes, scopo hujus operis extraneae inveniuntur apud Hoffmannum (69), Grego-

(69) Medicus politicus, s. regulae prudentiae, secundum

ry (70), Richter (71), Ploucquet (72), Uden (73) Wedekind (74) et Hufeland (75). Addiscuntur vero potissimum commercio hominum animo docili, humano, educatione liberali praestantium.

Morientium cura.

18. Postremo *morientium cura* omnem medicorum solertiam exposcit. Multa hic fieri possunt ad extrema mala mitiganda, nec aeger omnino a médente derelinquendus, priusquam animam exhalaverit. Sed et tunc nonnunquam asphyxiae suspicio magni facienda, saepeque matura sepultura impedienda, politiae medicae objectum.

Cura superstitum.

19. Nec *cura superstitum*, ars scilicet eorundem dolorem consiliis non solum, sed et pharmacis molliendi, a medici officio nobis aliena

quas med. juvenis studia sua et vitae rat. dirigere debet. L. B. 1738. 8.

(70) *Vorlesungen über die Pflichten und Eigenschaften eines Arztes. Leipz.* 1778. 8.

(71) Medici ex omni parte perfecti imago. Lips. 1798. 4.

(72) *Der Arzt. Tubingen* 1797.

(73) *Medicinische politik. Leipz.* 1783. 8.

(74) *Ueber das Betragen des Arztes und über dem Hollungsweg durch Gewinnung des Zutrauens etc. Mainz* 1789. 8.

(75) *Die Verhältnisse des Arztes. Berlin* 1808. 8.

videtur. Miramur hujusce generis argumentum nec dum pro dignitate a medicis pertractatum fuisse (76).

(76) Eligam illud pro argumento orationis academicae. Praeter CICERONEM (in consolatione, quae merito supposita videtur) pulchre hac de re scripsit DESMOUSTIER. (Les consolations. Oeuvres.)

DE

FEBRIBUS.

Caput I.

DE FEBRIBUS IN GENERE.

§. XVII.

DE ARGUMENTO GENERATIM.

Febris indicia.

1. Calor animalis, et pulsus a recto tramite aberrantes, dum praeterea et quaedam functio laeditur, *febrem* indicant, eamque constituunt (1).

Doctrinae momentum.

2. Doctrina febrium (*pyretologia*) maximi omnino ponderis. Febris enim nec temperamento, nec sexui, nec aetati, nec foetui in utero delitescenti parcit, vixque inter millia hominum unus invenitur, qui plus vice sim-

(1) Latiori, sed arbitrario omnino sensu, vocabulum *febris* interpretatur Cl. Reil op. citat. (§. IX. 10.) 1 Th. S. 90.

plici non febricitaverit. Quin imo morientis sine febre exemplum rarissimum habetur (2). Nil igitur mirum, si febres, licet aliquando salutares (3), in tabulis mortuariis primum locum occupent (4).

Scriptores.

3. Qui universam praxin medicam amplexi sunt (5), inprimis in febrium doctrina illustranda toti fuere. Excelluerunt praeterea hoc in opere: Riverius (6), Senac (7), Werlhoff (8), Grant (9), Jackson (10), Stoll (11), Quarin (12), Tode (13), Richter (14), Els-

(2) Gruner's *kritische Nachrichten.* 1. Th. 8. 174.
(3) Metzler, *uber die Vortheile der Fieber bey lang-wierigen Krankheiten. Ulm* 1790. 8.
(4) Buchan, *médecine domestique T.* 2. *ch.* 2. *p.* 14 -- William Blach *An arithmetical and medical analysis of the deseases and mortality of the humane species. London* 1789. ch. 4. p. 43.
(5) Vid. §. IX. 12.
(6) Methodus curandarum febrium. Paris 1648.
(7) De recondita febrium natura. Amst. 1759.
(8) Observationes de febribus. Opp. Vol. I. *Deutsch*, Kopenh. 1785. 8.
(9) *Beobachtungen uber die Fieber. Neue verbess. Aufl. Leipzig.* 1791. 8. *Th.* II.
(10) Vid. §. IX. 4.
(11) Aphorismi de cognoscendis et curandis febribus. Vind. 786. 8.
(12) Methodus medendarum febrium. Vind. 781. 8.
(13) *Pracktische Fieberlehre.* Kopenh. 786. 8.
(14) *Beytrage zur Fieberlehre.* Berl. 795. 8.

NER (15), WILSON (16), FR. SCHRAUDT (17), GIANNINI (18), PETIT-RADEL (19) aliique.

§. XVIII.

SYMPTOMATA.

Symptomatum divisio.

1. *Symptomata* febrium vel *prodroma*, vel *constituentia*.

Prodroma.

2. Raro febres illico adveniunt; plerumque enim illas praecedere solent lassitudo sponte nata, animi inconsueta irritabilitas, et imbecillitas: habitus corporis, praecipue vero physionomia a statu sano aliena, somnus nequaquam recreans, ciborum desiderium imminutum, halitus male olens, secretionum officium sive auctum, sive suppressum, sive alienatum.

(15) *Beytrage zur Fieberlehre*. Konigsb. 782. 8.

(16) *A treatise on febrile diseases Winchester* 1799. 8 Vol. IV. *Deutsch. v.* D. GLI. W. TOEPELMANN. *Leipz.* 804. 805. 8. *Th.* 3.

(17) De febribus tentamina duo. Viennae 1791. 8.

(18) Della natura delle febbri e del miglior metodo di curarle. Milano 1805.

(19) Pyretologia medica, seu discursio methodica in febrium continuarum, remittentium, tum intermittentium silvam, cui operam navabat PH. PETIT-RADEL. Paris 1808. 8.

Constituentia.

3. *Symptomata* febrem *constituentia* jam in genere commemoravimus (20). De singulis nunc speciatim.

Calor animalis.

4. *Calor animalis* in febribus vel imminuitur (*frigus febrile*), vel augetur (*calor febrilis*). Ambo, si a thermometro confirmantur, *veri*, alias ad *sensum* dicuntur (21). Frigus febrile secundum variam intensitatem, *algoris*, *horroris*, vel *rigoris* nominibus insignitur. Est illud vel universale vel partiale (22). Eodem pacto calor febrilis pro re nata aut constans, aut fugax, aut humidus, aut amoenus, aut siccus, aut mordax, aut urens. Frigus corporis superficiem occupans, quo tempore calor viscera adurit, *lipyria febris*, viceversa *epiala* nuncupatur.

Pulsus.

5. Antequam *pulsus* abnormis declaretur, ne loquar de regulis in eo explorando retinendis, ratio aetatis, temperamenti, sexus, et positionis corporis habenda. Pulsus quidem in febribus plerumque velocitate peccat, sed contraria

(20) §. praecedente. 1.

(21) Optimum ad calorem animalem explorandum thermometrum illud celeb. *Currie*. Lond. apud Berge.

(22) Acta Hayniensia. Vol. I. Obs. 119.

non desiderantur exempla (23). Peccat porro pulsus saepe tum vi, tum rhythmo.

Aliae functiones.

6. Nulla quidem functio datur, quae a febribus aliquando laesa non fuerit; laeduntur vero plerumque secretio materiae transpirabilis, lotii, salivae, bilis, necnon nutritio (24). Ita respiratio, cujus frequentia ad instar illius pulsuum numeranda est (25).

§. XIX.

CAUSSAE.

Caussarum divisio.

1. *Caussae* febrium sunt *praedisponentes*, *occasionales*, sive *excitantes*, et *proximae*.

Praedisponentes.

2. Praedisponunt ad febres peculiaris hominum quorundam idiosyncrasia, ipsae demum caussae excitantes lenius agentes, quam ad ipsas febres excitandas requiritur, maxime vero incognita saepe annua, vel epidemica constitutio.

(23) E. c. 1. Centum nonaginta octo pulsus ictus sexagesima horae parte in homine adulto numeravi 2. Interdum triginta octo.

(24) Reil. l. c. S. 139.

(25) Huic scopo horologium sexagesimas horarum partes designans inservit.

Excitantes.

3. Febribus occasionem porrigunt caussae fere omnes morborum generalium (26), praecipue in iis, qui hisce caussis tolerandis assueti non sunt, maxime vero errores in sex rebus sic dictis non naturalibus: miasmata, et contagia.

Proximae.

Caussae proximae febrium nos latent. Hypotheses circa eas, ad suum usque tempus jactatas, docte exposuit Cl. BURSERIUS (27). Recentiores inveniuntur apud Clariss. J. P. FRANK (28), REIL (29), HUFELAND (30), MARCUS (31), ACKERMANN (32) etc.

§. XX.

DIAGNOSIS.

Signa diagnostica.

1. Praesentia symptomatum febrem constituentium praesentiam febris clare ostendit, at

(26) §. XI. 3.
(27) Op. cit. (§. IX. 10.) T. I. §. XIV.
(28) Op. cit. (ibidem) Vol. I. p. 10.
(29) Loc. cit. S. 41.
(30) Op. cit. (ibidem) II. Th. S. 8.
(31) Op. cit. (§. VIII. 7.) I. Th. S. 72.
(32) De cognoscendis curandisque febribus epitome. cap. V.

non viceversa. Praecipue pulsus infidum est febris indicium. Origo, et decursus morbi, saepius hic plus quam symptomata constituentia febrem adesse manifestant. Quocunque in casu *constantia* quaedam symptomatum, et si forte aeger non deliret, vel sopore sepultus jaceat, *sensus aegritudinis* ad febris praesentiam statuendam requiritur. Ita enim genuinam febrem a statu abnormi caloris et pulsuum, qualis tempore digestionis, vel a motu nimio corporis, vel animi contingere solet, distinguere valemus.

Divisio febrium in primarias et secundarias.

2. Potissima febrium divisio est in *primarias* sive *idiopathicas*, et in *secundarias* sive *symptomaticas*. Illae morbum per se, hac alterius morbi effectum constituunt. Hîc febrium primariarum dumtaxat traditur doctrina.

In intermittentes et continuas.

3. Subdividuntur febres primariae in febres *intermittentes*, et *continuas*. Ad ambas has classes pro re nata eas febres revocamus, quas auctores *remittentes* appellant, quaeque nobis ordinem febrium peculiarem haud sistere videntur.

Necessitas has febres distinguendi.

4. Sicuti in febribus primariis a secundariis, ita in intermittentibus a continuis perfecte distinguendis omne studium poni debet; toto enim

coelo differunt (33) ita, ut impossibile sit harum febrium generalem doctrinam tradere, quod ex peculiari febrium tum intermittentium, tum continuarum consideratione clarius apparebit.

CAPUT II.

DE FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS.

§. XXI.

DE ARGUMENTO GENERATIM.

Definitio.

1. Febris intermittens est febris primaria, quae alternatim ex paroxysmis, et apyrexiis componitur.

Doctrinae momentum.

2. Quod de pyretologiae dignitate in genere monuimus (34), hoc et febrium intermittentium doctrinam respicit. Porro febres hujusmodi ty-

(33) Maxime idcirco nobis arridet, linguam polonicam et rossicam febres intermittentes et continuas minime sub generali nomine *febrium* complecti. Primas nempe *febra*, secundas *goraczka* nuncupant.

(34) §. XVII. 2.

rorum attentione vel ob id dignae sunt, quod in quovis earum paroxysmo imago curriculi febris continuae occurrit.

Ejusdem Scriptores.

3. Febres intermittentes jam veteribus notae fuerunt (35). Praeter jam commemoratos auctores (36) earum doctrinam illustrarunt: TORTI (37), TRNKA (38), V. HOVEN (39), GRAINGER (40), COMPARETTI (41), STRACK (42), CASIMIR MEDICUS (43), KORTUM (44) etc.

Ipsius tradendae ordo.

4. Ut doctrina, de qua sermo est, debito ordine exponi queat, oportet primum febres intermittentes dividere in *evidentes*, et *larvatas*, in *benignas*, et *perniciosas*, nec non in *regulares*, et *irregulares*.

(35) De morbis popularibus. Lib. I.
(36) §. XVII. 3.
(37) Op. cit. (§. IX. 7.)
(38) Historia febrium intermittentium. Vindob. 1775. 8.
(39) *Versuch. uber das Wechselfieber. Winterthur* 1789. 8.
(40) *Pracktische Bemerkungen uber die Behandlung der kalten Fieber. Leipzig* 1785.
(41) Delle febbri intermittenti perniciose.
(42) Observationes medicinales de febribus intermittentibus. Offenb. 785 8.
(43) *Von periodischen Krankheiten.*
(44) *Bemerkungen uber das Wechselfieber, mit Hinsicht auf Herrn Hofrath* MARCUS *Abhandlung uher diesen Gegenstand.* Vid. HUFELAND's Journal etc. XV. B. 3. St. S. 1. -- Idem: *Zusatz zu meinen Bemerkungen uber das Wechselfieber.* XX. B. 3. St. S. 21.

§. XXII.

FEBRES INTERMITTENTES EVIDENTES.

Definitio. Periodus. Stadia.

1. *Febres intermittentes evidentes*, eae scilicet, quae propria febrium intermittentium symptomata evidenter prae se ferunt, paroxysmum exhibent, qui ex *tribus stadiis* componi solet, nempe ex *stadio frigoris, caloris*, et *sudoris*, quem excipit *apyrexia*.

Stadium frigoris.

2. Praegressis nempe, aut desideratis symptomatibus prodromis febrium (45), aeger magis magisque languet, pallescit: solem aut ignem quaerit. Mutatur faciei forma. Accedunt oscitationes, capitis ac saepe lumborum, vel artuum dolores, patiturque aeger ac si ipsius membra, quotquot sunt, fracta essent. Ungues, et labia livent, cutis anserina fit, et maculis interdum coeruleis notatur. Sed en jam *frigus* evidens a lumbis per spinam assurgens, pectus circumdans, totumque tandem corpus complectens. Imminuitur corporis volumen, ita ut annuli de digitis cadant. Aeger tunc lecto se com-

(45) §. XVIII 2.

mittit, seque stragulis etiam ultra caput circumtegit. Concutitur tota machina. Strident dentes, imo apud senes unus alterve eorum interdum evellitur (46). Sitis ita aegrotum excruciare solet, ut remotum vix ab ore poculum jam iterum expostulet. Qui potum avide nimis ingurgitat, vomit. At vomitus etiam sine hac caussa apparet. Res ejectae nunc bile, nunc fluido diaphano, insipidoque constant. Emesin anxietas, ventriculi pondus, nec non nausea praecedunt. Hypochondria tenduntur, lienis moles non raro augetur. Pulsus interea admodum creber, irregularis, contractus, minimus, vix aut ne vix quidem aliquando tactui obvius. Respiratio brevis, anxia, suspiriosa: loquela interrupta. Tussicula sicca interdum ita continuo urget, ut ne verbum quidem aeger proferre possit. Perturbantur ideae, vel rapida earum successio occurrit: aliquando potius sopor conspicitur. Sensuum, praesertim tactus, officium nonnunquam pervertitur, aut deletur. Exsiccantur ulcera. Mammae nutricum arescunt. E contra urina aquosa, copiosa cum frequenti eam deponendi desiderio. Fertur et sperma, pene erecto, cum dolore ejaculatum fuisse (47), et testes etiam aliquando

(46) Wilson. Op. cit. (§. XVII. 3.) V. I. p. 81. Not.
(47) Hufeland's Journal etc. IX. B. 3. St. S. 19.

doluisse (48). Stadium frigoris nunc ad dimidium horae, plerumque ad duas, interdum ad quatuor, quin imo ad sex horas protrahitur. Tandem frigus sensim sensimque non sine grata sensatione, evanescit.

Stadium caloris.

3. Extincto frigore cutis universa *aestu*, et rubore suffunditur. Aeger in stragulis rejiciendis, et pedibus denudandis intentus. Augetur corporis volumen. Caput vehementer dolet. Nihilominus sensuum, et cerebri functiones acuuntur, quod praecipue de imaginatione, et memoria valet (49). Interdum vaniloquium. Aliquando aegri, praesertim infantes, soporosi fiunt, aut somnum imaginibus terrificis stipatum experiuntur. In genere patientes rumorem, et lucem aegre ferunt. Oculi micant, pulsantque undique cum impetu arteriae, inprimis carotides, et temporales. Sanguis e naribus saepe manat. Pulsus plerumque minus frequens quam sub stadio frigoris, atque regularis, sed fere semper plenus, et durus. Respiratio libera quidem, sed anhelans. Os siccum. Sitis continuat, crescit imo cum potus aciduli desiderio. Alvus clausa. Urina pauca, ignea cum ardore nonnun-

(48) Heberden, Commentarii de morborum historia et curatione. Recudi curavit Soemmering. 1804. p. 140.

(49) Reil, op. cit. (§. IX. 10.) I. Th. S. 45.

quam deposita. Elapsis duabus, tribus, vel et octo interdum horis, calor simul cum ceteris symptomatibus decrescit. Pulsus interea fit undosus, et mollis.

Stadium sudoris.

4. Hoc ipso tempore *sudor* primum ad pudenda, atque axillas incipiens, frontem et tandem universum corpus cooperiens, vaporosus, calidus, odore specifico, fere acidulo praeditus, plerumque valde copiosus prorumpit. Oritur dormiendi desiderium. Alvus clausa, urina pauca vel nulla. Sudor hujusmodi ab una ad tres circiter horas protrahitur, decrescente semper magis magisque febre, donec ea tandem omnino evanescat.

Stadium apyrexiae.

5. Ingruente ita *stadio apyrexiae* pulsus, saltem dum aeger decumbit, si celeritatem nonnunquam excipias, nil morbosi offerre solet. Cutis si tangatur, amoenam, subfrigidamque, peculiarem admodum, nec facile verbis designandam temperiem exhibet. Interdum levi sudore adhuc cooperitur. Urina quoad copiam normalis, sed saepe sedimento vel lateritio, vel mucoso, vel puriformi instructa. Aeger hilaris, screator factus, ac sensum secundae valetudinis, praecipue mutatis a sudore madefactis linteis, experiens. Verum dum lectulum deserit, utplu-

rimum mox a capitis gravedine et debilitate corripitur. Non raro gustus depravatus, halitus male olens, appetitus deletus, oculi subflavescentes. Fere semper habitus corporis cachecticus evadit, speciale aliquid exhibens, quod experto plerumque latentem morbum, primo oculi ictu, patefacit. Circa labia frequenter pustulae apparent (*hydroa febrile*) (50). Hydroa hujusmodi et ad volas manuum, psorae ad instar, prorupisse, vidimus. Duratio apyrexiae pro vario febris typo varia; de qua re infra.

Anomaliae.

6. Nonnunquam stadiorum memoratus ordo pervertitur. Observatum enim est, stadium frigoris omnino defuisse: loco sudoris, diarrhoeam, vel urinam sedimento instructam apparuisse, imo, ut nuper vidimus, calorem in apyrexiam, cui tardius tantum sudor associabatur, transiisse. Alias, vigente adhuc sudore unius paroxysmi, frigus alterius jam comparet: *febris intermittens subintrans*. Anomalia quoque esse videtur, dum symptomata febrilia in una tantum corporis parte apparent: *febris intermittens topica*, seu partialis (51).

(50) Vid. cap. de Hydroa.
(51) Burserius, l. c. §. LXVII.

§. XXII.

FEBRES INTERMITTENTES LARVATAE.

Definitio.

1. *Febres intermittentes larvatae* eae sunt, quae sub larva alterius morbi apparent, quum tamen et ob originem, et ob decursum, et ob medendi rationem, ad febres intermittentes spectent (52).

Febris subcontinua.

2. Communissima inter febres intermittentes larvatas est, quae sub forma febris continuae occurrit, atque quum a celeber. Tortio primum optime descripta fuerit, grati animi caussa *subcontinua* Tortii nuncupatur. Ingruit febris hujusmodi febrium intermittentium ad instar, et eodem pacto curriculum suum absolvit. At quum ad apyrexiam pervenerit febris, nequaquam in totum cessat, sed tantum decrescit, ita nempe, ut loco apyrexiae *remissio* solummodo morbi habeatur, donec novus paroxysmus exacerbationem simulans, advenerit. Paroxysmus hic plerumque levi horripilatione aegrum aggreditur: sequuntur calor, et plus minusve sudor. Nova

(52) Immerito omnino Cl. Reil nomen intermittentis *larvatae* vituperare videtur. Op. cit. 2. Th. S. 107.

apyrexia, seu remissio utplurimum antecedente minus evidens est adeo, ut morbus, quo magis ingravescit, eo magis adspectum febris continuae exhibeat.

Aliae larvatae.

3. Nonnunquam autem febres intermittentes tali pacto reconditae sunt, ut ne formam quidem febris offerant, sed sub larva alterius cujusdam morbi, in conspectum se prodant, ita tamen, ut alternatim ex paroxysmis, et ex intervallis plus minusve liberis componantur. Morbi, sub quorum forma febres hujusmodi intermittentes saepius latent, sunt: odontalgia, ophthalmitis, amaurosis, apoplexia, asthma, catarrhus, epilepsia, mania, vomitus, lumbago, metrorrhagia etc.

§. XXIV.

FEBRES INTERMITTENTES BENIGNAE ET PERNICIOSAE.

Divisio.

1. Febres intermittentes tum evidentes, tum larvatae nunc leviter sine ullo vitae periculo decurrunt, nunc modo contrario. Illae *benignae*, hae *perniciosae* vocantur. De ultimis speciatim.

De febribus intermittentibus perniciosis in specie.

2. *Febres intermittentes perniciosae* triplicis sunt generis: 1.° nunc enim morbus solummodo in uno, alterove ex consuetis paroxysmi febris intermittentis stadiis ita viget, ut vita periclitetur, v. c. dum in stadio frigoris aeger cadaveris ad instar riget, in stadio caloris quasi comburitur, in eo sudoris diffluere videtur (*febris intermittens perniciosa algida, lipyria, diaphoretica*): 2.° nunc consueta stadia paroxysmi non terrent, sed ipse paroxysmus perniciem minatur supervenientis cujusdam alieni symptomatis caussa, v. g. comatis, dolorum capitis, ventriculi, abdominis, artuum etc., aphoniae, hydrophobiae, respirandi difficultatis, tussis, vomitus, fluxus dysenterici, cholerae, haemorrhagiae narium, pulmonum, uteri, etc., peripneumoniae, scorbuti, peticularum, urticariae etc. (*febris intermittens perniciosa comatosa, cephalica, cardialgica, colica, arthritica etc., aphonica, hydrophobica, asthmatica, catarrhalis, emetica, dysenterica, cholerica, epistaxica, pneumonorrhagica, metrorrhagica, peripneumonica, scorbutica, petechizans* etc.): 3.° nunc paroxysmus, consuetis febrium intermittentium symptomatibus orbatus sub forma gravissimi alterius

morbi apparet, v. c. apoplexiae, epilepsiae, maniae, etc. (*febris intermittens perniciosa apoplectica, epileptica, maniaca*, etc. Hoc ultimum febrium intermittentium perniciosarum genus ad febres intermittentes larvatas pertinere, cetera ad evidentes, vix opus est animadvertere.

§. XXV.

FEBRES INTERMITTENTES REGULARES ET IRREGULARES.

Febres intermittentes in regulares et irregulares dividuntur.

1. Paroxysmi, et libera intervalla febrium intermittentium tum evidentium, tum larvatarum, tum benignarum, tum perniciosarum, nunc cum ordine, nunc sine eo sibi invicem succedunt. Dividuntur hac de caussa febres intermittentes in *regulares* et *irregulares*, sive *anomalas*. Hac praeter ipsam irregularitatem nil memorabile offerunt, illarum vero decursus exactissime adnotari debet.

Febres intermittentes regulares.

2. Dividuntur enim *febres intermittentes regulares:*

(a) in *quotidianas*, quae omni nychthemero semel curriculum suum absolvunt.

(b) in *tertianas*, quae alternis diebus paroxysmum, die vero intermedio apyrexiam exhibent.

(c) in *quartanas*, quae quarta quaque die paroxysmum, duo vero nychthemera apyretica offerunt.

(d) in *quintanas*, quae omni quinta die paroxysmo instruuntur, concessis tribus diebus apyrexiae.

Ita calculus *sextanarum*, *septimanarum*, *octanarum* etc. initur, de quibus ultimis fatemur, nos eas nunquam observasse. Earum existentiam attamen Cl. BURSERIUS exemplis comprobare sategit (53). Porro dividuntur febres, de quibus sermo est:

(e) in *quotidianas duplices*, quae duobus paroxysmis, intermedia apyrexia, nychthemeri spatio stipantur (54).

(f.) in *tertianas duplices*, quae quidem quotidie paroxysmo uno instructae sunt, sed ita, ut paroxysmi alternis diebus sibi similes sint, relate scilicet vel ad tempus, quo invadunt, vel ad vim, qua saeviunt, vel ad apparitionem

(53) L. c. Vol. I. §. 65.

(54) Bis quotidianam duplicem observavimus: viderunt et SAMUEL VOGEL (*Handbuch* S. 37.), LAUTERUS (Historia medica biennalis morbor. rural. p. 7.), BURSERIUS (l. c. §. 136), J. P. FRANK l. c. p. 43) etc.

cujusdam symptomatis uni tantum paroxysmo alternis diebus proprii, vel relate ad singula simul.

(g) in *tertianam triplicem*, quae prima, et tertia die duos paroxysmos, secunda et quarta, unum tantum exhibet (55).

(h) in *tertianam quadruplicem*, quae quotidie duos paroxysmos inter se alternis diebus respondentes praesefert (56).

(i) in *quartanam duplicem*, quae prima, et secunda, quarta, et quinta die paroxysmis, tertia autem die apyrexia stipatur tali modo, ut primus paroxysmus quarto, secundus quinto respondeat.

(k) in *quartanam triplicem*, quae quotidianae fere ad instar singulis diebus accessiones habet, tali autem ratione, ut primus paroxysmus respondeat quarto, secundus vero quinto, tertius sexto (57).

A typo febrium intermittentium *duplici* ille, qui *duplicatus* dicitur, probe distinguendus. Est enim:

(l) *febris tertiana duplicata* ea, quae paroxysmos duos alternis diebus, diem vero a febre liberum intermedium offert (58). Ita:

(55) Schenk Lib. V. Obs. 12.
(56) Tulpius in observat. medic. Lib. IV. p. 46.
(57) Schenk l. c. Obs. 11.
(58) Riverius Cent. IV. Obs. 16. Amatus Lusitanus Cent. I. p. 6.

(m) *quartana duplicata*, quae omni quarto tantum die duos paroxysmos praesefert, et

(n) *quartana triplicata*, quae prima die tres exhibet accessus, totidem septima, decima: diebus intermediis a febre liber est aeger. Paroxysmi vero ejusdem diei inter se non sunt similes, sed sibi quarta quavis die eodem ordine respondent (59).

Et exemplum *complicationis* febris intermittentis *quotidianae* cum septimana describitur (60).

§. XXVI.

AUTOPSIA CADAVERUM.

Inventa.

1. Febres intermittentes in cadaveribus nulla certa, et constantia vestigia, saltem quatenus in sensus cadunt, relinquere solent, si excipiamus quodammodo lienis volumen auctum (61), ejusdemque visceris duritiem (62). Et hepar

(59) Sauvages Nosolog. T. I.
(60) Hufeland Journal. V. 1. S. 45.
(61) Medicus *Sammlung von Beobachtungen aus der Arzneywissenschaft* S. 91. -- Monro *Beschreibung der Krankheiten, welche in dem brittischen Feldlazareth in Deutschland am haufigsten gewesen.* 1768. II. B. 13. S. 418. -- Voigtel cit. op. 3. B. S. 144.
(62) Lanzoni in Ephem. Nat. Curios. Cent. IX. Obs. 7.

affectum (63), et glandulae mesenterii obstructae (64), visa sunt. Tandem febres intermittentes aliquando inflammationem ventriculi, et duodeni comites habere, testantur BARTHOLINUS (65) et SYLVIUS (66).

Observatio.

2. Lienis volumen auctum in febribus intermittentibus omnimodo ab obstructione distiguendum esse, quoniam primo in casu vasa sanguinea pulcherrime injici possunt, jure docuit Cl. REZIA (67). Ipsas glandulas mesenterii, quae pro obstructis declarantur, saepe facillime, et perfecte mercurio repleri, docet Cl. SOEMMERRING (68). Cadavera eorum, qui sub frigoris stadio obierunt, magnam sanguinis congestionem circa praecordia offerre, nescio an optimo jure, asseritur.

(63) Journal de médecine T. LXVII. p. 409.
(64) CHAMBON op. cit. (§. IX. 9.) p. 157 et 167.
(65) Histor. anatom. rariores. Hist. 56.
(66) Prax. Med. Append. Tract. X.
(67) In praelectionibus pathologicis Ticini habitis etc. Vid. et ejus *Specim. observat. anat. et pathol.* Ticin. 1784. p. 1 -- 25.
(68) *Anmerkungen zu* BAILLIE. S. 115. *Anmerk.* 233.

§. XXVII.

CAUSSAE.

Paludosae regiones febrium intermittentium incunabula.

1. Nulla quidem est regio, quae febres intermittentes, saltem sporadicas, interdum non exhibeat. Attamen procul dubio vera hujus morbi incunabula sunt regiones paludibus abundantes. Memorabiles sunt hac in re observationes celeb. LANCISII (69). Sub paludum autem nomine veniunt non solum aquarum perpetuae stagnationes, sed vel eae fortuitae, quae inundationum, vel pluviarum immodicarum caussa nascuntur, aut quae originem trahunt ex aquis in fossis urbium, praecipue munitarum, vel in campis oryzae culturae dicatis, nec non in pratis, aut absconditis nemorosis locis stagnantibus, aut saltem imperfecte, et lente defluentibus.

Quo pacto febres intermittentes producantur.

2. Quaeritur autem, quo pacto paludes febres intermittentes gignant, scilicet an atmosphaeram oxygenio spoliando? an humiditatis gratia? an ob effluvium specificum aërem inquinans?

(69) De noxiis paludum effluviis p. 58. ed. Genev. 1718. 4.

An ob oxygenii defectum?

3. Quum paludes gaz hydrogenium azoto nuptum exhalent, suspicari hinc liceret, debitam proportionem inter partes atmosphaeram constituentes ita perverti, ut oxygenii defectus inde oriatur. At contrarium docent experimenta ope eudiometri, a summo nostro in rebus physicis magistro Alexandro Volta suscepta. Observavit nempe illustris vir, atmosphaeram in locis omnino paludosis, ac maxime evolutioni febrium intermittentium faventibus, debitam, consuetamque azotum inter, et oxygenium rationem exhibuisse.

An ob humiditatem?

4. Humiditatem in producendis febribus intermittentibus magni momenti esse, clare ex eo patet, quod febres hujusmodi praecipue in locis humilibus, et humidis endemicae sint, quod praesertim post pluvias multas, et vigente nebulosa tempestate epidemice grassari soleant, quodque in primis eos invadant homines, qui circa occasum solis, quo tempore vapores in atmosphaera prius radiorum solarium ope soluti praecipitantur, aëri libero non satis tecti se exponunt. Attamen, ut directe ex sola humiditate febres intermittentes repetere valeamus plurima obstant. In regionibus nempe alias febribus intermittentibus haud faventibus, vel sub con-

stitutione annua iis adversante, a continua licet, et maxima atmosphaerae humiditate, nunquam morbus, de quo agitur, evolvitur. Porro febres intermittentes vix sub pluviis, vel inundationibus apparent, sed postea, cui tamen argumento ingeniose respondet Cl. WILSON (70).

An ob effluvium specificum?

5. Quod aër paludosus principio peculiari inquinatus sit, ipse illius specificus odor testari videtur (71), quamvis vel ex eo febrium intermittentium originem directe repetere non audeam. Quodcumque autem sit hocce principium, nil impedit, quominus recepto atque vulgato nomine *miasmatis* (72) insigniatur.

Miasma.

6. Est igitur *miasma* principium, quod vix aut ne vix quidem percipi potest, ex paludibus emergens, atque in corpore humano specificam diathesin (periodicam) imprimens, cui potissimum remedium cortex cinchonae officinalis est.

(70) L. c. S. 167.

(71) Plus vice unica in regionibus transpadanis, quae aëris puritate excellunt, Ticinum versus iter faciens, quo magis huic urbi a paludibus circumdatae appropinquabam, hujusmodi specificum odorem percipiebam, non sine ingrata totius corporis sensatione.

(72) Vid. BURSERIUM l. c. §. XCVIII.

Miasma differt a contagio.

7. Differt miasma a contagio, quod morbus ab illo ortus potestate haud gaudet alios inficiendi, quae potestas morbis ex contagio derivantibus inest. Nunquam enim contagiosi aliquid in febribus intermittentibus animadvertere potui. Non desunt vero, vel inter recentiores auctores, qui aliter sentiant (73).

Quando paludes praecipue febres intermittentes generent.

8. Superest, ut inquiramus in rerum positiones, sub quibus paludes praecipue aptae sunt febribus intermittentibus generandis. Primum aestus solis considerationi nostrae sese offert. Aegre nempe paludes in regionibus septentrionalibus febres intermittentes gignere valent (74); nec in ipsis regionibus calidis paludes hiemali tempore nocivum, de quo sermo est, effectum producunt. At nec soli aestus solis defectui tribui potest, quod paludes in regionibus septen-

(73) Kortum l. c. S. 10. Amelung *Bemerkungen über die haufigen, vorzuglich intermittirenden Fieber, die in den Rheingegenden von 1794 bis 1799 vorzuglich unter den Soldaten herrshten.* Vid. Hufeland's Journal XVIII. B. 2. St. S. 100. Reil *Ueber die Erkennt. und Kur der Fieber.* 2. B. S. 146.

(74) Pulcherrima Europae urbs, *Petropolis*, paludibus circumdatur; nihilominus febres intermittentes ibi non admodum regnant.

trionalibus non sunt adeo nocivae; nam et hîc calor aestatis tempore aliquando vehemens (75). Denique minime summus calor vel in ipsis plagis meridionalibus paludosis ad febres intermittentes excitandas requiritur (76), imo sub aequatore febres hujusmodi sat raras esse ajunt (77). Ni fallimur, nil magis paludum insalubritatem adjuvat, quam coeli constantia, nil magis illi obstat, quam temperiei continuae vicissitudines (78). At nec venti ubicunque febribus intermittentibus obstant; qui enim e regione paludosa spirant, caussam hujuscemodi morbi potius advehunt, quod ipse variis in locis animadvertebam, quodque ab aliis confirmatum lego (79). Impedireturne insalubritas

(75) Temperatura media aestatis *Petropoli* est 23 1|4 graduum thermom. Reaum.

(76) In Insubria saepius febres intermittentes maxime eo tempore grassari vidi, quo thermometrum gradum vigesimum caloris non attingebat.

(77) Wilson l. c. p. 163. Testantibus Bontio (de medicina Indorum); Clark (*on the deseases in long voyages to hot climates*); Lysons (*Essay on fevers*).

(78) Ticini pluviae sub maximis aestivis caloribus interdum per mensem, et longe ultra omnino desiderantur. Eo ipso tempore tanta observatur aliquando malacia, ut levissima pluma apertae fenestrae vespere imposita, postero mane adhuc eodem in loco reperiatur. Petropoli contra mensibus Julii, et Augusti, qui inter cetera anni tempora ob tranquillitatem atmosphaerae excellunt, octo tantum dies a ventis expertes numerantur.

(79) Hunter's *Bemerkungen uber die Krankheiten der Truppen in Amerika. A. d. E.* Leipz. 1792. 8.

paludum in regionibus septentrionalibus brevitate, vel potius absentia noctuum tempore aestatis (80)? Solum quod attinet, indubitabile est, proventum febrium intermittentium impediri ab arena, et longe magis adhuc a terra fossili paludes circumdante (81). Etiam dum paludum superficies concreta est, aut aqua non omnino stagnante obducitur, vix generationi febrium intermittentium locus datur (82). Quamvis mora in ipsis silvis potius ortui febrium periodicarum faveat (83); attamen nemora, paludes inter, et aliquam regionem posita, hanc a febribus hujuscemodi praeservare Cl. RUSH contendit (84). Aquam salitam maris paludibus mixtam, insalubritatem earum augere, pro certo habuit PRINGLE. Contrarium affirmat JACKSON (85), quam opi-

(80) Tempore occasus solis, vel saltem hora prima noctis, febrium intermittentium periculum in regionibus paludosis maximum esse, supra monuimus, at in septentrionalibus, aestate aurora proxime occasum sequitur, unde saltem probabile fit, quod etiamsi atmosphaera effluvia paludum interdum retineat, tempus non concedatur ea in detrimentum generis humani noctu praecipitandi.

(81) Jos. FRANK's *Reise nach Paris*, *London* etc. Wien 1805. 2 Th. S. 283.

(82) KORTUM l. c. S. 7.

(83) WILSON l. c. p. 171. testantibus PRINGLE et CLEGHORN.

(84) *Observations on the causes of the increase of intermitting fevers in Pennsylvania.* Vid. Vol II. *of* RUSH's *Medical Inquir. and Obs.*

(85) WILSON l. c. p. 176.

nionum discrepantiam, utpote experientia hac in re destituti, componere non valemus.

Aliae caussae.

9. Jam vero solum miasma, nulla alia extante caussa, ad febres intermittentes producendas sufficere, quotidie observatur. Alias miasma, vel incognita annua constitutio, ad febres periodicas solum praedisponere videtur ita, ut morbus non aliter excitetur, quam superveniente nova caussa. Nec desunt exempla plurima, ubi alienae caussae ad febres intermittentes praedisposuisse visae sunt, morbus vero ipse adveniente miasmate excitatus fuit. Sunt autem caussae hujusmodi febrium intermittentium nunc excitantes, nunc praedisponentes: atmosphaerae humiditas, corporis refrigeratio, errores in diaeta, praesertim esus cucumis sativae, peponis melonis, carnis suillae, superbibendo illico aquam (86): animi pathemata, maxime terror, et ira: humorum jactura, verbo, omne id, quod corporis vires frangit. Febres intermittentes potissimum circa tempus novae lunae vel plenilunii evolvi, testantur praeclari auctores (87); non

(86) Haec nostra observatio quodammodo eam Aurivillii confirmat, quo fatente febribus intermittentibus praecipue ii obnoxii sunt, qui carne suilla et piscibus vescuntur. Vid. Wilson l. c. S. 172.

(87) Balfour Robert Jackson in London Med. Journal. Vol. VIII. P. 1. p. 25. Vel in: *Sammlung auserlesener Abhandlungen fur prakt. Aerzte.* XII. 1 St. S. 84.

satis me in hoc phaenomeno observando attentum hucusque fuisse, candide fateor.

Caussa proxima.

10. Quaevis medicorum schola varias sibi circa caussam proximam febrium intermittentium hypotheses aedificavit (88). Probabilior ea videtur, quae morbum hunc ex peculiari systematis nervosi vitio, certe non ex sola debilitate veniente (89), derivat. At libenter sententiae: «caussa proxima febris periodicae intermittentis legitimae, ignoratur (90),» subscribimus. Caussam proximam febrium intermittentium obscurissimam et impenetrabilem esse, fatetur et Burserius (91), nec non Gorterus (92) etc. Non ita Reil (93), aliique.

(88) Strictim de iis rationem reddidit Cl. Haller. Vid. Hufeland's Journal etc. XXVII. B. S. 10.

(89) Solam astheniam nequaquam caussam febrium intermittentium sistere, meridiana luce clarius demonstravit Cl. Kortum l. c. S. 24. sq.

(90) J. P. Frank op. cit. T. I. p. 39.

(91) L. c. §. LXXVII.

(92) Prax. Med. System. No. 195.

(93) Loc. cit. S. 142.

§. XXVIII.

DIAGNOSIS.

Diagnosis febrium intermittentium evidentium.

1. Videri posset, difficile admodum non esse, diagnosin febrium intermittentium, quas *evidentes* nuncupavimus, instituere: atque ita quidem res saepe se habet, cum morbus per aliquot dies, paroxysmis cum apyrexiis alternatim apparentibus, indolem suam manifestaverit. Ast longe aliter est a primo morbi initio. Tunc enim haud facile determinari plerumque potest, utrum ingruens febris ad intermittentes, an ad continuas pertineat. Hac sub rerum positione ex eo statum morbi conjectura saltem attingimus, quod in genere febres intermittentes frigore intensiore, atque diuturniore invadant, in continuis autem calor diutius continuare, nec sudor adeo copiose prorumpere soleat. Sed vel absoluto post spatium aliquot horarum febris curriculo, dubitari adhuc potest, an fuerit paroxysmus febris intermittentis, an ephemerae species. Apyrexiam hîc a convalescentia quodammodo distinguere nos docent peculiaris illa cutis subfrigescentis conditio, de qua supra sermo fuit (94), dein habitus aegri, praecipue

(94) §. XXII. 5.

vero notio constitutionis morborum regnantium. Postremo diagnosis febrium intermittentium evidentium aliquando vel ob id difficilis evadit, quod, sicuti paroxysmi plerumque diurno, ita apyrexiae utplurimum nocturno tempore apparent, unde ipse aeger obdormiens hanc non animadvertit, et eo minus medicus, qui diu tantum aegros visitare solet (95).

Febres intermittentes a febribus secundariis quibusdam distinguuntur.

2. Non tamen omnis febris, quae evidenter ex paroxysmis et apyrexiis constat, ideo ad febres intermittentes pertinet. Legitima enim febris intermittens *morbum primarium* sistit. At intermittentium formam vel nonnullae ex febribus secundariis exhibent, quae igitur omni pacto ab illis distingui debent (96). Alia nempe est earum prognosis, aliaque medendi ratio (97). Morbum adspectum febris intermittentis prae

(95) Fateor me non paucas febres intermittentes pro continuis declarasse, donec usque aegros noctu visitaverim; quo tempore vel ipsis obdormientibus pulsum tangendo, praecipue ex temperie amoena, subfrigidaque cutis, latentem praeter omnem expectationem morbum cognovi.

(96) Legatur de hoc argumento prolusio academica J. P. Frank: de ordinandis morborum periodicorum familiis. Continetur in *Delectu Opusculorum med.* Vol. X. p. 377-402.

(97) Valdopere miror, Cl. Reil nihilominus febres hujusmodi, quotquot sunt, pro legitimis intermittentibus habere. Op. cit. 2 Th. S. 110.

se ferentem ipsa aliquando graviditas inducit (98). Idem de uteri osteo-steatomate dicendum (99). Species quartanae a prorumpente dente ultimo molari ortae nobis nota est. Evolutionem luis venereae a symptomatibus febrium intermittentium comitari, saepe saepius conspeximus. Idem de lepra fertur (100). In hysteria, in arthritide, et in chlorosi haud raro febricula adspectu intermittens observatur. Ita in angustatione urethrae (1). Suppurationes vesicae urinariae, vel prostatae omnibus febrium intermittentium symptomatibus stipatas, praesertim frigore corpus concutiente, ac largis sudoribus, pluries observavimus. Nullo autem alio in morbo febres secundariae adspectum febrium intermittentium legitimarum saepius usurpant, quam in phthisi pulmonali. Distinguuntur vero in genere febres secundariae ex suppurationibus ortae (febres hecticae) a legitimis intermittentibus ex praesentia signorum alterius morbi: ex habitu aegri,

(98) Hoffmanni System. ration. T. IV. Sect. 1. c. 3. §. 18. Trnka op. cit. (§. XXI. 3. Not. 38.) Vol. I. p. 301.

(99) In museo pathologico R. Universitatis Ticinensis osteosteatoma uteri conservatur, quod in cadavere aegrae detectum fuit, quae singula febris intermittentis perniciosae emeticae symptomata exhibuerat.

(100) J. P. Frank *Epit.* T. IV. p. 213.

(1) Everard Home *Practical observations on the treatment of Strictures in the urethra and the oesophagus.* London 1797. p. 64.

potius tabifico, quam cachectico: ex sedimento puriformi, non lateritio urinarum: ex rebelli, vel exasperato morbo ob adhibitum corticem cinchonae officinalis: ex absente forte constitutione annua febribus intermittentibus favente: ex typo quotidiano, qui in legitimis intermittentibus sat rarus est, vel ex accessionibus anomalis, aut vespertinis. Porro: « in febre intermittente, ait insignis Practicus (2), accessiones sunt longiores, tum tria alia tempora horroris, caloris, et sudoris, accuratius definiuntur, et in decessionibus febris ex toto intermittit. Verum hectica nunquam adeo remittit, quin arteriarum motus concitetur, decem minimum ictibus in sexagesima horae parte superans modum naturalem ». Attamen nullum e signis hucusque traditis, saltem separatim consideratum, diagnosim indubiam reddit. Ipsae enim febres intermittentes interdum sub larva alterius morbi apparent: habitus aegri, vel latente suppuratione, non semper tabificus: in ipsis intermittentibus legitimis urina non raro puriformis: et hae ipsae febres interdum a primis cinchonae dosibus exasperantur: annua tandem constitutio saepe in morbum specialem, de quo agitur, non influit. Nec desunt febres se-

(2) HEBERDEN l. c. p. 143.

cundariae quotidie, vel et alternis diebus, matutinis horis, magno frigore stipatae, apparentes (3). Ita non omnes febres intermittentes tam perfecte intermittunt, ut pulsus constanter normalis evadat. Exemplo sint febres subcontinuae. Postremo non ignorandum, posse febrem intermittentem legitimam cum morbo alias febrem secundariam pro comite habente societatem inire (4). Quam arduum sit hîc diagnosin instituere, non est cur moneam.

Diagnosis febris subcontinuae.

3. Distinguitur subcontinua febris a febribus continuis, quoniam illae exacerbationibus, et remissionibus longe magis conspicuis insigniuntur, quarum primae saepe cum notabili horrore incipiunt, alterae copioso sudore terminantur. Porro febres subcontinuae simul cum intermittentibus grassari solent, aut ex istis sive neglectis, sive male tractatis evolvuntur, iterumque facile in eas transeunt. Et sedimentum lateritium, quo urina in subcontinuis instructa est, hîc ad diagnosim instituendam conferre valet. Cave vero, ne febres catarrhales, quae non raro febrium continuarum ad instar decur-

(3) Acta Instituti clinici Vilnensis. Annus primus, p. 99.

(4) Nonnunquam phthisicos simul vera febre intermittente affectos pertractavi.

runt, pro intermittentibus declares; de quo argumento infra (5).

Diagnosis aliarum febrium larvatarum.

4. Quoad febres intermittentes larvatas, quae potius chronici morbi sub larva apparent, sequentia probe adnotari debent. Febribus intermittentibus grassantibus, quivis morbus periodice recurrens pro suspecto habeatur; facile enim pertinebit ad hanc morborum classem. In hoc numero praecipue sint morbi supra enumerati (6), et inter eos maxime qui benignam indolem praeseferunt. Semper enim expertus sum, diagnosin febrium intermittentium larvatarum *benignarum* majoribus longe difficultatibus premi, quam eam *perniciosarum*. Quotidie enim accidit, quod morbi, quos febres intermittentes larvatae benignae simulant, utpote levioris momenti, v. c. odontalgia, opportunis adhibitis auxiliis brevi evanescant. Hoc vero in morbis gravioribus, e. c. in apoplexia, vix contingere solet, nisi ex classe intermittentium originem trahant. Quamobrem, si e. g. hodie ad aegrum ob gravem morbum decumbentem vocaris, quem postera die praeter omnem expectationem fere sanum inveneris, eo minus de febre intermittente larvata dubita, quo magis

(5) Cap. VI. §. LXV. 6.
(6) §. XXIII. 3.

constitutio epidemica hujusmodi morbis favet. Verum non praetermittendum, plurimos morbos chronicos, praesertim systematis nervosi, v. c. asthma, licet accurate periodice decurrant, attamen inter febres intermittentes minime recensendos esse. Diuturnus hujusmodi morborum decursus, ratio constitutionis annuae, et inutilitas corticis cinchonae hîc veram mali indolem manifestare solent. Ad hanc magis magisque eruendam confert scire, febres intermittentes larvatas non raro a febre intermittente evidente praecedi, easdemque utplurimum typum quotidianae, vel tertianae, sive simplicis sive duplicis sequi, atque haud raro paroxysmum ingruentem a levi horrore nuntiari.

Diagnosis febris intermittentis infantum.

5. Febres intermittentes, quotquot sunt, eo difficilius in infantibus, quo tenerior eorum aetas, cognosci queunt. Quamobrem utile censeo de earum diagnosi peculiarem facere mentionem. Sciendum enim, hoc morbi genus interdum valde inter infantes grassari, nec foetui in utero delitescenti parcere (7). Quoties igitur, favente annua constitutione febribus intermittentibus, infantes alternatim mox valent, su-

(7) Russel in: *Transactions of a society for the improvement of medical and chirurgical knowledge.* Vol. II. p. 96. Etiam in: *Samml. ausu. Abh. f. p. A.* XXI. B. 1 St. S. 18.

spicio de febre intermittente oriri debet, praecipue si copiosi sudores accessiones febriles terminent. Nec ignorandum, stadium frigoris hîc facile convulsionibus stipari. Inter febres intermittentes perniciosas nulla aetati infantili communior ea, quae comatosa dicitur. Quomodo ab alio infantili quoque, et simili morbo distinguenda sit, suo loco tradetur (8).

Diagnosis febrium intermittentium benignarum, et perniciosarum.

6. Diagnosis febrium intermittentium vel benignarum, vel perniciosarum tum ex statu paroxysmi, tum ex eo apyrexiae desumitur. Cavendum autem, ne ex paroxysmo inconsueto quodam symptomate stipato, statim febrem intermittentem perniciosam arguamus, praecipue dum aegri systemate nervoso delicatiori instruuntur. Hoc enim in casu terrifica symptomata vel in benigna febre conspici solent. Attamen laesio functionum vitalium in febribus intermittentibus nunquam parvi facienda. Haec regula sacra esto, si agatur de senibus, de locis uliginosis, calidis, et de tempore aestivo, vel autumnali. Absit vero, ut in vulgarem errorem incidamus, febres intermittentes perniciosas ceteris anni temporibus extraneas judicando. Ob-

(8) Parte II. Vol. I. Cap. de hydrocephalo.

servavimus eas pluries Viennae mensibus aprilis et maji. Nil autem magis suspicionem de latente febre intermittente perniciosa injicit, quam, si vel in ipso stadio apyrexiae inconsueta occurrat virium prostratio simul cum proclivitate ad lipothymias, capitis dolore, temulentia, pulsu exiguo, ut rite monet egregius BURSERIUS (9). Postremo nosse juvat, febres intermittentes perniciosas praecipue typum subcontinuae, quotidianae, et tertianae sequi. Si sequantur eum tertianae duplicis, facile paroxysmus unius diei ad perniciosam pertinebit, alterius ad benignam, uti aliquoties conspeximus. Rara est febris intermittens perniciosa quartanae typum exhibens. Paucae a nobis observatae, fuere omnes algidae. Febres intermittentes non ex propria natura, sed ex alieno morbo iis socio perniciem desumere, aliquis (10) putavit. Hoc quidem interdum fieri posse non negabimus, sed in genere contrarium asserimus, eo quod in febre perniciosa intermittente omnia symptomata periodice recurrunt, et cinchona illico debellantur, quod in alieno morbo non facile contingeret.

(9) BURSERIUS l. c. §. CI.
(10) WILSON l. c.

Diagnosis typorum in genere.

7. Non parum interest typum febrium intermittentium distinguere, praesertim ut tempus febrifugorum administrationi magis accommodatum eligere possimus. Ceterum vix aut ne vix quidem typum harum febrium in earundem indolem influere existimamus, si excipiamus, quod eae, quae typum subcontinuae, quotidianae et tertianae duplicis sequuntur, propius ad naturam morborum acutorum, reliquae vero propius ad characterem passionum chronicarum accedere videantur. Optime diagnosim typorum febrium intermittentium enuclearunt GALENUS (11), ELLERUS (12) et WILSON (13). Ante omnia vero animadvertendum, quod non omnes febres intermittentes, quae haud accurate uni alterive typo subjiciuntur, illico pro irregularibus declarari debent. Quamvis enim non desiderantur febres intermittentes, quae tali ordine decurrunt, ut nec per horae momentum anticipent vel retardent; attamen plurimae ex iis extant, quae ordinem quidem, sed non adeo exactum tenent, quin ideo pro regularibus non habeantur.

(11) De febrium differentiis lib. II.
(12) ELLERUS de cognoscendis et curandis morbis. cap. 28.
(13) WILSON l. c. p. 140.

Diagnosis quotidianae.

8. Inter febres intermittentes regulares minus sane communis est *quotidiana*, de qua ne apud HIPPOCRATEM quidem mentio fit. At existentiam illius immerito alios (14) negasse, pro certo habemus. Non inficiabimur quidem, febres typum quotidianae sequentes, saepe ad hecticas, vel saltem ad tertianas duplices pertinere, ac revera, priusquam febris pro quotidiana declaretur, oportet non solum, ut primaria sit, sed etiam ut paroxysmi quotidie eadem circiter hora, eademque vi, iisdem symptomatibus stipati sint, et ut sibi alternis diebus non respondeant. Hujusmodi febres, quarum praesentiam BURSERIUS (15) et J. P. FRANK (16) quoque confirmant, et nos conspeximus (17). Paroxysmi febris intermittentis quotidianae plerumque mane apparere solent; vidimus tamen semel et vespere. GALENI observationem, earum scilicet paroxysmum quamvis longiorem, calorem tamen, et sitim minorem exhibere, quam illum tertianae, interdum confirmatam vidimus.

(14) MERCURIALIS. SENAC.
(15) Op. cit. §. CXXXV.
(16) Op. cit. (Not. 100. p. 30.) Vol. I. p. 41.
(17) Febres intermittentes typum quotidianum frequentius in Lithuania, quam in Italia, et Germania sequuntur.

Diagnosis tertianae.

9. Communissima inter febres intermittentes *tertiana*, tum simplex tum duplex est, atque rite Fr. Hoffmann monet (18), eam nec sexui, nec aetati parcere. Paroxysmos tertianae potissimum pomeridianis horis invadere contendit Cullen (19); nos quod attinet, eos longe saepius circa meridiem conspeximus.

Diagnosis quartanae.

10. Febris intermittens *quartana* in quibusdam regionibus vel maxime febribus intermittentibus faventibus rara est (20). Utplurimum autumni tempore grassatur. Paroxysmus pomeridianis, vel vespertinis horis in conspectum venire solet. Maximo, et diuturno stipatur frigore, quod ad quindecim horas protractum fuisse legimus (21). Nulla ex febribus intermittentibus habitum corporis magis cachecticum reddit, quam quartana.

Diagnosis quintanae.

11. Diagnosis febris intermittentis *quintanae* facile errori subjicitur, quod nempe cum tertiana, cujus forte unus paroxysmus non erupit, confundatur. Quamvis alias sat rara haec febris

(18) Op. cit. T. IV. p. 9.
(19) Op. cit. (§. VIII. 3.) §. 56. 59.
(20) Kortum l. c. Rarissima et in Lithuania.
(21) Grant op. cit.

sit, aliquoties tamen eam observavimus; ita Stoll (22), Quarin (23) etc.

Diagnosis indolis morbi.

12. Febrem intermittentem esse morbum sui generis, eamque ex incognita diathesi, cui nomen *periodicae* dedimus, pullulare, jam aliquoties monuimus (24). Fateri tamen oportet, hunc morbum non semper ita sibi similem esse, ut iisdem prorsus tolli queat auxiliis. Unde sapienter Kleinius: « genium quovis fere anno habent (febres intermittentes) alium atque alium, ut, qua methodo currente anno liberaveris, eadem ipsos anno jam vertente e medio forsan tollas (25) ». Maxime igitur refert, febres intermittentes, quatenus peculiarem medendi rationem exposcunt, inter sese invicem distinguere. Ut doctrina hujusmodi facile concipi possit, eam sequenti modo exponimus. Appellabimus *simplices* eas febres intermittentes, quae ita constitutae sunt, ut sine damno mox cortex cinchonae officinalis, vel remedia similia adhiberi queant: *complicatas* autem eas, quarum curatio magis intricata est. Complicatas porro, prout methodum vel antiphlogisticam,

(22) Ratio medend. T. 3. p. 75.
(23) Op. cit. (§. XVII. 3.) p. 5.
(24) §. XXVII. 6. etc.
(25) Op. cit. p. 98.

vel antirheumaticam, vel antigastricam exigunt, dividemus in febres intermittentes *inflammatorias*, *rheumaticas*, et *gastricas*. Sed vel complicationes hujusmodi duplicis sunt generis: 1.° nunc enim, ablata per opportuna remedia complicatione, febris intermittens simplex remanet auxiliis diathesi periodicae accommodatis pertractanda: 2.° nunc vel ope illorum remediorum omnis tollitur morbus.

Diagnosis febris intermittentis simplicis.

13. Absentia symptomatum diatheseos inflammatoriae, rheumaticae, et gastricae plerumque de natura *simplici* febrium intermittentium testatur. Plerumque, inquam, nam vel absentibus complicationum indiciis, attamen complicatio interdum latet. Suspicamur tale quid, dum praeter omnem expectationem morbus remediis febribus intermittentibus simplicibus accommodatis rebellis est, atque eo magis, quo magis indoles aliorum morborum simul regnantium, sive inflammatoria, sive rheumatica, sive gastrica, observatur. Sicuti autem absentia symptomatum complicationes indicantium fallax est, ita et illorum praesentia. Simplicissimas saepe febres intermittentes vel inflammatoriis, vel rheumaticis, vel gastricis symptomatibus insignitas conspexi. Quo magis tunc in supposita hac complicatione abigenda intentus eram, eo magis crescebant

illius apparentia symptomata, donec iis irritis ad usum corticis cinchonae pervenerim, quo facto extemplo totus tollebatur morbus. Ut *apparentem* hujusmodi febrium intermittentium *complicationem* a *reali* distinguere possitis, securum, quoad fieri potest, diagnosticon aperiam. Respicite ad stadium apyrexiae: si in eo symptomata complicationem unam, alteramve indicantia continuent, de *realis complicationis* praesentia vix ambigite. Si vero symptomata illa sub paroxysmi solummodo tumultu in conspectum veniant, cessent vero ingruente apyrexia, de *apparente* tantum *complicatione* sat tutum statuite judicium.

Diagnosis febris intermittentis inflammatoriae.

14. Febris intermittens *inflammatoria* cum fortiori, sed non protracto frigore invadere solet; rapide enim succedit calor maximus: rubent scilicet facies, oculi, et universa cutis: arteriae quotquot sunt, inprimis carotides, et temporales vehementer pulsant. Urgent symptomata catarrhalia, et saepe sanguis e naribus stillat. Caput acutissimo dolore detinetur: succedunt vigiliae, veternus, et interdum deliria. Urina ignea sedimento lateritio, saepius puriformi instructa. Sudor plerumque moderatus paroxysmum nequaquam terminat; pulsuum enim frequentia, et plenitudo, sitis, calores fugaces,

symptomatum catarrhalium praesentia de imperfecta apyrexia testimonium praebens. Paroxysmi typum tertianae duplicis sequi, aut irregulariter decurrere solent. Non desunt tamen exempla, quartanarum inflammatoriarum (26). Febris intermittens inflammatoria grassantibus aliis morbis inflammatoriis oriri solet, praecipue tempore vernali, in plethoricis, abusui vini, vel alcohol deditis, post suppressas adsuetas haemorrhagias, ab animi pathematibus fortioribus, motuque corporis nimio. Omnia, quae calefaciunt aegrotis noxam afferunt, quod de ipsa cinchona praepostere adhibita dicendum. Conducit regimen antiphlogisticum.

Diagnosis febris intermittentis rheumaticae.

15. Vernali tempore, favente constitutione annua morbis rheumaticis, dum febres intermittentes ab atmosphaerae vicissitudinibus excitantur, aut in aegrotis aliunde rheumaticis incommodis subjectis, locum obtinent, eae facile *naturam rheumaticam* induunt. Nil miri hîc subesse, haud difficile is intelliget, qui perpendet, quantum abdominis conditio in febres intermittentes influat, quantumque abdomen cum systemate cutaneo consensum habeat (27). Fe-

(26) Forestus Observationum Lib. III. Obs. 32.

(27) Pulchre de hac re locutus est Cl. Gauthier. Vid. Hufeland's *Journal der prakt. Heilkunde* XVIII. B. S. 151.

bres intermittentes rheumaticae plerumque artuum, fauciumque doloribus, nec non symptomatibus catarrhalibus stipatae sunt. Verum maxime cavendum, ne mox omnes membrorum cruciatus pro rheumaticis declaremus, cum vel in simplici febre intermittente obveniant.

Diagnosis febris intermittentis gastricae.

16. Febris intermittens gastrica catervam symptomatum gastricorum durante paroxysmo exhibet, quorum pars ad ipsam apyrexiam protrahitur. Huc pertinent, praeter peculiarem anxietatem, et tristitiam, anorexia, os amarum, lingua flavo muco obtecta, anima foetens, ructus, nausea, vomituritio, screatio frequens, morsus, et ardor ventriculi, capitis gravitas, oculi subflavi, genae profunde rubentes, ad latera nasi pallescentes, diarrhoea faeculenta, verminosa, vel obstructio alvi pertinax, urina ex rubro flava, jumentosa, sitis, acidorum desiderium. Aegri recenti licet in morbo habitum magis, quam in aliis intermittentibus, cachecticum produnt. Oritur febris intermittens gastrica quolibet tempore, praecipue vero aestivo, post errores in diaeta, tristitiam, iram etc. Cinchona a morbi initio exhibita anxietatem, atque ventriculi molestias auget, facileque vomitu rejicitur.

§. XXIV.

PROGNOSIS.

In genere.

1. « Quocumque modo (febres) intermiserint, quod sine periculo sint significant » ; ita Hippocrates (28). Verum neque post detectam corticis cinchonae virtutem talem sententiam pronunciare audemus. Periculi enim plenae sunt febres intermittentes perniciosae, nec ceterae, quamvis re ipsa non perniciosae, omnino innocuae observantur, praecipue dum gravidas, puerperas, infantes, aut senes invadunt. Hoc nempe dum accidit, abortus, convulsiones, vel rigor lethalis supervenire queunt. Intermittens, si fiat vere continua, aeger plerumque morietur: *vere*, inquam, continua, nam febris *subcontinua* nequaquam pertinet ad febres continuas. Maxime enim errare videtur Cl. Reil, dum contrarium contendit (29). Extant febres intermittentes, quae, licet minime periculosae, attamen rebelles sunt, et viceversa. In genere febres intermittentes cernuntur graviores, dum epidemice praecipue autumno regnant, dum

(28) Aphorismorum Sect. IV. Aphor. 43.
(29) Op. cit. (§. IX. 10.) 2 Th. S. 119.

noctu invadunt, in obesis, in potatoribus, in aegris corticem cinchonae, vel cibos omnino respuentibus: in iis, qui continua oris siccitate laborant, in arthriticis, vel qui visceribus aliunde labefactatis instructi sunt. Hisce enim in casibus, et fere semper, quando febris intermittens, praesertim autumnalis, negligitur, aut male curatur, vel sanata febre alia imminent pericula, e. c. lienis tumor, hepatis, vel mesenterii obstructio, oedema pedum, hydrops ascites, dyspepsia, arthritis, atonia etc. Peculiarem speciem maniae, praesertim post quartanas rebelles orientem descripsit SYDENHAM (30). At non reticendum, valetudinarios interdum in ipsa febre intermittente potissimum vernali remedium invenire. Quamvis enim virtus salutifera febrium intermittentium plus quam par est jactata sit, fateri tamen oportet, iis vigentibus rebelles viscerum abdominalium, et glandularum obstructiones, dispositionem ad phthisin pulmonalem, cachexiam, arthritidem, asthma, epilepsiam etc. interdum debellari. Febres intermittentes in adolescentibus mirifice incrementum corporis promovent. Optimum in omni febre intermittente, dum aeger screator factus est, dumque apyrexia perfecta observatur. Si post

(30) Op. omnia T. I. Sect. I. C. 4.

primas doses cinchonae paroxysmus intenditur, ut plurimum brevi post sedatur, rite animadvertentibus eximiis practicis (31). Qui mercurio non dudum usi sunt, diu a febribus intermittentibus immunes evadunt. Contrarium de iis, qui psora laborant, Cl. VON HOVEN contendit (32). Venerei, et melancholici non facile febre perniciosa corripiuntur (33).

Prognosis stadiorum.

2. Horror importunior fit illis, qui vomunt. Frigus forte atque diu durans, per se neque diuturnitatem morbi, neque ejus periculum semper denotat, licet contrarium opinetur KLEIN (34). Qui febribus intermittentibus moriuntur, saepe quidem sub frigore, ergo in principio paroxysmi, excedunt e vita, sed et tardius. Nulla constans proportio inter stadium frigoris, et caloris. Paroxysmus, qui sine sudore terminatur, rebellem febrem indicat. Ex urina crassiori, et turbida, febris curriculum breve, et ex clara, tenui, intense rubra, ignea, contrarium praesagiri posse, traditum est (35); verum saepe vidimus, rem se ita non habuisse.

(31) WERLHOFF, GLECHORN.
(32) Op. cit. 1 Th. §. 21.
(33) KLEIN Op. cit. p. 96.
(34) L. c. p. 59.
(35) KLEIN l. c. p. 95.

Sanguinis largus fluxus e naribus plerumque bonum, e contra paucae guttulae, malum. Hydroa febrile non raro haud criticum. Febres, de quibus sermo fit, dum naturae committuntur, indeterminato tempore vel sanitate, vel alio morbo, vel morte terminari solent. Vidimus inter eas, quae post secundum paroxysmum sponte evanescebant. De aliis fertur, eas ad plures annos protractas fuisse (36). Maximam partem tamen, absoluto curriculo septem paroxysmorum, cessare, contendunt, unde SYDENHAM similitudinem inter decursum febrium intermittentium, et continuarum statuit (37).

Prognosis febrium intermittentium perniciosarum.

3. Extant febres intermittentes adeo perniciosae, ut aegrum secundo, vel tertio paroxysmo e medio tollant. Imo suspicamur, eas interdum vel prima accessione necare, et funera plura improvisa, quae apoplexiae, convulsionibus, cholerae tribuuntur, et tunc accidunt, dum febres intermittentes perniciosae grassantur, paroxysmo illarum primo, jam lethali, adscribenda esse. Inter omnes perniciosas ea, quae emetica dicitur, magis timenda. In genere autem pernicies harum febrium eo major esse

(36) TRNKA l. c. p. 289. I. WIER obs. 1. 36.
(37) Op. omnia T. I. Sect. 1. C. 5. Legatur et REIL l. c. p. 131. sq.

solet, quo major anxietas praecordiorum, et inquietudo.

Prognosis typorum.

4. Vim, diuturnitatem, et periculum febrium intermittentium magis a constitutione annua, et aegrorum pendere, quam a typo, quem sequuntur, persuasum habeo. Ex paroxysmo anticipante, vel retardante nil concludi potest, nisi simul duratio paroxysmi major, vel minor fiat, quo in casu primum malum, alterum bonum. Ceteris paribus *quotidiana* aegre cedit, atque plus quam ceterae in febrem continuam transire minatur. Idem fere de *tertiana duplici* dicendum. *Tertiana* inter omnes intermittentes facilius sanatur. Tertiana laborantes facile hecticos fieri (38) nunquam observavimus: qui hanc morborum successionem animadvertisse testantur, forte febrem hecticam intermittentis ad instar decurrentem cum legitima tertiana confuderunt. In tertianis tertius paroxysmus plerumque est gravissimus, qui si mitis, indicium habes brevis, ac mitis febris. Ita WERLHOFF (39). *Quartanam* facile chronicam induere indolem, et praecipue visceribus abdominalibus infensam esse, nec non ad hydropem, vel scorbutum

(38) KLEIN op. cit. p. 99.

(39) De febribus Sect. 1.

proclivem, consensu omnium, fatemur quidem; at de pertinacia peculiari hujus febris, dummodo periodicae legitimae, atque dum omnia artis auxilia, tum diaetetica, tum pharmaceutica debito modo adhibentur, nullum ex propria praxi suppeditare possumus testimonium.

Prognosis febris intermittentis simplicis, et complicatae.

5. Febris intermittens legitima *simplex*, concessa facultate corticem cinchonae officinalis adhibendi, eoque optimae notae, quemcumque tandem typum sequatur, facili opera in homine aliunde sano vix non semper vincitur. Contrarium vero de febribus intermittentibus *complicatis* dicendum. Febris enim intermittens *inflammatoria*, vel *rheumatica* neglecta, aut methodo calefaciente pertractata, nisi spontanea epistaxis succurrat, facile in febrem continuam ruit symptomatibus catarrhalibus, imo illis peripneumoniae stipatam. Pejores adhuc, si fieri potest, sunt sequelae febris intermittentis *gastricae*, si male tractetur. Hoc enim in casu febris vel in continuam, vel in chronicum morbum transit. Dum primum contingit, aeger ab initio de anxietate, et praecordiorum tensione conqueritur, tandem pulsus, sub ipsa apyrexia, frequentia crescit, celerque, nec non durus fit. Serius paucae, sed repetitae sanguinis guttae e naribus stillant: oculi flavescunt, lingua sic-

ca, crinesque flaccidi evadunt: abdomen in meteorismum ascendit, diarrhoea vires plerumque frangens oritur, atque aeger in maximo vitae periculo versatur. Dum vero febris, de qua agitur, in morbum chronicum desinit, habitus corporis de die in diem magis evadit cachecticus: urina imminuitur, et sedimentum copiosum, plerumque lateritium offert. Vires digestionis admodum labefactatae: abdomen tumidum, lienis vel hepatis volumen auctum tactui exhibet: crura tument: universa cutis, praeprimis autem extremitates inferiores maculis lividis notantur, donec tandem vel hydrops, vel icterus, vel scorbutus, vel labes mesenterii omnibus numeris absoluta, in conspectum veniant.

§. XXX.

CURA.

Prophylactica.

1. Multa a republica ad febres intermittentes endemicas avertendas fieri possunt. Huc pertinent: exsiccatio paludum, saltem in viciniis habitationum: constructio molium ad praepediendas inundationes: ventilatio domuum antea inundatarum: leges, quibus oryzae cultura, vel prata paludosa solum in determinatis distantiis,

iisque magnis ab urbibus permittuntur (40), edictae, ne paludes, quarum superficies jam jam solidescit, sine necessariis cautelis subverti possint. Res publica porro multum inde lucraretur, si cultura illius oryzae, quae in solo sicco vegetat, quaeque nuper in Europam introducta est (41), universalis reddi posset. Medici militares potissimum Praefectis legionum suggerere deberent, ne praeter necessitatem aquas in fossibus urbium munitarum stagnare patiantur, ne militum stationes prope paludes ponantur, neque, si fieri potest, ipsa castra loca uliginosa attingant, aut saltem curent, ut nemus ea a castris separet. Medici nautici periculum patefacere deberent, quod imminet, dum naves prope litora paludosa in anchoris expectant, aut dum nautis, et classiariis permittitur noctes in terra uliginosa transigere (42). Ad pravos effectus aëris nocturni in regionibus calidis praepediendos Cl. HALES lavationem ope aquae sale marino imbutae suadet, atque consilium observationibus suffulcit (43). Multa tandem remedia extraneis per regiones paludosas Italiae iter

(40) *Edict des Konigreichs Italien vom* 3 *februar* 1809 *die Reisfelder*, *Wiesen*, *etc. betreffend.* Vid. *Salzburger Med. chirurg. Zeitung* 1809. No. 21.

(41) Ab amicissimis nobis viris Dr. REHMANN et DE-CARRO.

(42) WILSON l. c. p. 170.

(43) HALES in I Volum. *of the medical Museum.*

instituentibus, ad arcendas scilicet febres intermittentes, ab incolis suadentur, inter quae esus allii sativi pertinet. Ignoramus adhuc, utrum cortici cinchonae virtus insit febribus intermittentibus in iis occurrendi, qui nondum hoc morbo laborarunt. Fertur potius, quod cortex hujusmodi sano homini porrectus speciem paroxysmi febris intermittentis excitet (44). In genere vero febres intermittentes vel ex paludum praesentia endemicae, vel ex ignota annua constitutione epidemicae, sequentibus avertuntur: fuga nempe solerti caussarum hunc morbum excitantium (45), praecipue humiditatis, somni in aëre aperto (46), modico vini usu, victu nutriente, atque facilis digestionis.

Morbi cura dividitur.

2. *Cura* febris intermittentis bifaria; respicit enim *paroxysmum*, et *apyrexiam*. Prima illa ad mitigationem symptomatum; haec ad curam radicalem morbi tendit. Cura autem utraque varia, prout febris intermittens pertinet vel ad evidentes, vel ad larvatas: vel ad simplices, vel ad complicatas.

(44) Hahnemann. Vid. Hufeland *Journal der prakt. Arzneykunde* 2 *B.* 4 *St. S.* 465.

(45) §. XXVII. 9.

(46) Theden *Unterricht fur Wundarzte S.* 167.

Cura imminentis paroxysmi.

3. Cognita circiter hora adventus paroxysmi, aegroto non permittendum, ut paulo antea ventriculum cibis oneret, vel mentem intendat; facile enim tunc paroxysmus fortior evadit. Emeticum ante adventum frigoris porrectum interdum paroxysmum avertit, atque nil impedit, quominus in rebelli morbo ad hoc deveniamus auxilium. In consuetis autem intermittentibus vomendi conatus molestias paroxysmi adaugent, atque nonnunquam, praecipue apud foeminas, vomitus fit effrenis, vixque sedandus. — Alias aliquando paroxysmum praeveniunt guttae quindecim, vel viginti *tincturae opii compositae Sydenhami*, quod remedium tuto adhiberi potest in febre intermittente perfecte simplici, absentibus viscerum obstructionibus, praesertim in aegrotis systemate nervoso admodum sensibili instructis. Consentit in id et incomparabilis doctrinae vir Heberden (47). Ante febris adventum *albumen* trium *ovorum* cum aqua tepida, et saccharo porrigere consulit Cl. Seguin (48). Rustici in agro Romano solis tunc sese exponunt actioni. Ita et Aethiopes, atque incolae Jamaicae (49). Jam

(47) Op. cit. p. 142.
(48) Vid. *Salzburger Med. chirurg. Zeitung*. 1809. No. 44.
(49) Wilson l. c. p. 186.

Celsus balnea tepida tempore, quo aeger paroxysmum expectat, suaserat (50).

Cura Frigoris.

4. Vigente *frigoris stadio,* extremitates aegri linteis calidis circumdantur, saltem pedibus lateres calefacti, vel urcei aqua fervida repleti admoventur. Simul potus porrigitur tepidus, aromaticus, *infusum* scilicet *florum*, vel *foliorum citri aurantiaci, florum matricariae chamomillae* vel *theae viridis.* Verum aeger minimis haustis bibat oportet; maxima enim damna sibi adferre solent febricitantes, dum largiter potant, ineunte paroxysmo. Extant imo praeclari medici potum hîc omnino prohibentes (51). Ligatura brachiorum, vel applicatio instrumenti vulgo *tourniquet* ad ea, suadente Kellie (52), interdum stadium frigoris brevius reddunt, at saepe saepius omni effectu destituuntur. Usum *gelatinae animalis* non solum curriculum stadii frigoris imminuere, sed etiam cardialgiam, anxietatem illud concomitantia debellare, expertissimus Hallé testatur (53), de quo remedio

(50) De re med. Lib. III. c. 12.
(51) Gleghorn. Vid. Wilson op. cit. p. 187.
(52) Kellie in Duncan's Medical Commentaries Vol. XIX. *Samml. auserl. Abhandl. fur prakt. Aerzte* XVII. B. S. 78.
(53) *Journal général de médecine etc.* T. IX. p. 336. *Samml. auserl. Abhandl. fur prakt. Aerzte.* 21 B. 4 St. S. 410.

infra accuratius. Idem effectus a *subcarbonate potassae*, vel *calcis succo limonum*, vel *aceto* nuptis, et sub actu effervescentiae haustis, non raro observatur, quod remedium simul vomitum compescere solet. Huic scopo vel *aqua gaz carbonico saturata* non raro satisfacit.

Cura caloris.

5. Adveniente *caloris stadio*, stragula sensim sensimque removenda, *temperatura* cubiculi moderanda, et *potus* frigidiusculus, subacidus, e. c. ex aqua *succo saccharato baccarum vaccinii oxycoccos*, *berberis vulgaris*, *rubi idaei*, *citri medicae*, suppeditandus. Nunquam enim observare potui, potum acidulum paroxysmos futuros longiores fortioresque reddere, vel corticis cinchonae virtutem infringere, uti tradidit Cl. Vir (54). De utilitate *immersionis* aegrorum in *aquam frigidam* ad extinguendum stadium caloris, suadente Cl. Giannini (55), duce Currie, nec dum ex propria experientia judicium proferre possumus. Molestam cephalaeam leniunt obscuritas, silentium, erecta aegrorum positio, *cataplasma frigidum ex mica panis*, *baccis contusis juniperi communis*, *et aceto*, fronti impositum, praecipue vero

(54) Victet op. cit.
(55) Op. cit. (§. XVII. Not. 18.) T. I. p. 55 sq.

clysteres antiphlogistici (56). Si aegri forte pharmacum quoddam expeterent, plethoricis *nitras potassae* (57), nervosis *aether nitricum alcoholisatum* praescribi posset (58). Imo, si cephalaea ultra modum cum nonnullis nervorum turbis urgeret, consilio Dahlbergii (59), Lindii (60), et Odieri (61) ad ipsam *tincturam opii compositam* Sydenhami confugiendum foret, quae vix non semper, praesertim *tincturae acidae snlphuricae aromaticae* (62) nupta, maximum solatium hac sub rerum positione nostris aegris attulit.

(56) *Clyster antiphlogisticus.* R. Decocti hordei dystichi vel furfurum uncias novem. Mellis acetati unciam unam. D. Injiciatur tepide.

(57) R. Nitratis potassae (Nitri) drachmam unam. Aquae rubi idaei uncias quinque, syrupi ejusdem unciam. M.

(58) R. Aquae nucleorum pruni cerasi uncias quinque, aetheris nitrici alcoholisati (Spiritus nitri dulcis) scrupulum unum. Syrupi violae odoratae unciam unam. M. D. S. omni hora cochlearia duo majora.

(59) Vid. Murray's *Med. prakt. Bibliothek.* 3 B. S. 301.

(60) *Ueber die Krankh. der Eüropaer in heiſs. Klimat Riga und Leipz.* 1773 8. S. 295.

(61) In *medical and philosophical Commentaries by a Society in Edinburgh.* Vol. VI. p. 295.

(62) R. Aquae menthae crispae uncias tres. Tincturae opii compositae Sydenhamii. Tincturae acidae sulphuricae aromaticae (Elixirii Mynsichtii) aa. scrupulum unum. Syrupi menthae unciam semis. M. D. omni dimidia hora cochlear majus, donec symptomata remittant.

Cura sudoris.

6. Ingruente *sudoris stadio*, prima esto regula, ut aeger terminum illius patienter in lectulo, debito modo stragulis obtectus, expectet; alias, a cohibito scilicet sudore, eo imperfectior erit apyrexia, fortiorque futurus paroxysmus. In genere aegros nil magis sublevat copioso sudore (63). Si sitis continuaret, infusum theae, vel aliud aromaticum, adjecto succo citri, vel, si vires languerent, et sudor ob id non satis expelleretur, cum vino, vel *taffia* porrigi posset. Desiderante aegro nutrimentum, nil impedit, quominus illi jusculum carneum, vel avenaceum, vel simile praebeatur. Quo primum autem sudor imminui, et lintea eo madida frigescere incipiunt, indusium, stragula, et, si possibile, lectus, mutari debent. Nova lintea ut sicca sint oportet, atque cavendum, ne aura frigida aegrum attingat. Omni sane jure fassus est Cl. Kortum (64), febres intermittentes apud pauperes vel ex eo, quod beneficio mutationis linteorum a sudore madefactorum destituti sunt, difficilioris curationis esse. Porro, quoniam vapor ex aegro,

(63) Transpirationis operis inprimis in regionibus calidis summam in febribus intermittentibus rationem habendam esse, suadet inter alios egregius Moselley Op. cit. p. 197.
(64) L. c. S. 15.

declinante paroxysmo, emanans, totum aliquando cubiculum replet, ipse vel ad aliud proximum cubiculum deportandus, vel saltem in pristino illo subfumigium ex aceto, vel aqua aromatica ferro candenti adspersa; instituendum. Ceteras munditiei curas, v. c. lavationem manuum, ablutionem oris, purificationem dentium, linguae, aliasque silentio praeterimus. Sufficiat enim meminisse, nil magis aegrotos recreare, atque morbi curam adjuvare, munditie.

Cura paroxysmi febris intermittentis larvatae.

7. Paroxysmus febris intermittentis *larvatae*, morbi ad instar, sub cujus forma illa apparet, curandus. Eadem regula et in febribus perniciosis valet. Quamobrem cum vix detur morbus, qui aliquando sub forma febris intermittentis sive larvatae, sive perniciosae non compareat; patet, neminem in cura harum febrium excellere posse, qui totam therapiam specialem non calleat. Verum methodum variis formis morborum accommodatam dum sub paroxysmo adhibes, nunquam obliviscendum, eam tantummodo ad scopum symptomata leniendi inservire, absolutam autem curam non aliter obtineri posse, quam deducta dein in auxilium methodo specifica diathesi periodicae consentanea. Sic, ut unum rei tanti momenti exemplum afferam, in peripneumonia periodica, vigente paroxysmo, ad

venae quidem sectionem recurrendum censeo, saltem id postulantibus temperamento, aetate aegri, respirationis, pulsuumque conditionibus; at non eodem pacto, uti in consueta peripneumonia, semperque memor, morbum non posse aliter tolli, quam exhibito per tempus febrifugo.

Cura febris intermittentis inflammatoriae.

8. Frigoris stadium aliunde in *febre intermittente inflammatoriæ*, plerumque breve (65), vix medentis auxilium exposcit. Solum cavendum ne aegrum admodum stragulis cooperiamus, neque illi potum nimis aromaticum porrigamus, quod consilium dum negligitur, subsequens aestus intendi solet. Adveniente calore, eoque maximo, capitis insigni dolore, delirio, aut sopore, vel difficili respiratione stipato, in aegro robusto, succi pleno, favente annua constitutione, vel coelo morbis inflammatoriis, praecipue si aeger nuper ex regione frigida ad calidius clima pervenerit (66), sique morbus recens fuerit, *venae sectio* indicatur, qua neglecta morbi transitus in febrem continuam inevitabilis. Sanguinis quidem detrahendi necessitas praecipue in febribus intermittentibus vernalibus occurrit, at vel in aliis, dummodo vere inflammatoriis. Non

(65) §. XXVIII. 14.

(66) Vid. Dr. Gurtin epist. ad Cl. Duncan in Med. Comment. Vol. IX.

omnino indicata venae sectione, inprimis apud infantes, *hirudines* vel temporibus, vel crurum superficiei internae admoveri possunt. Praeterea summa ratio *temperaturae* cubiculi habenda, quae sit oportet, si possibile, inter gradum duodecimum et decimum quartum thermometri R. Optimus potus hîc *solutio supertartratis potassae* (67). Adducto aegro ad apyrexiam, interdum necessitas venae sectionis reiterandae occurrit, persistente nempe capitis dolore, pulsu pleno, et forti, aliisque diatheseos inflammatoriae indiciis. In genere tamen in apyrexia sanguinis missioni raro locus est, et magnus virium vitalium respectus habendus, praecipue in regionibus uliginosis. Ceterum vel mixtura ex *nitratae potassae* (68), vel *pulveres temperantes* (69) exhibentur, aut, si largior alvina purgatio desideraretur, *sulphas magnesiae*, imperata simul diaeta ex jusculis vegetabilibus, et fructibus sive recentibus, sive cum saccharo et aqua coctis. Methodus hujusmodi saepe pau-

(67) R. Supertartratis potassae (cremoris tartari), sacchari aa unciam unam et semis. Aquae fontis fervidae libras tres. Frigefacta detur. S. pro potu.

(68) Supra p. 53. 5.

(69) *Pulveres temperantes.* R. Pulv. supertartratis potassae unciam semis. Nitratis potassae drachmam unam. M. div. in octo partes aequales. D. S. Cap. omni secunda hora unam.

eorum dierum spatio omnem debellat morbum, usui cinchonae saepe omnino rebellem (70). Quod si autem febris remanserit, ea, deleta inflammatoria complicatione, *simplici* facta, uti talis pertractanda.

Cura febris intermittentis rheumaticae.

9. *Febris intermittens rheumatica* fere eandem methodum ac inflammatoria exposcit. Tamen in illa minus venae sectioni, et methodo antiphlogisticae, plus vero diapnoicae fidendum, saltem morbo jam jam parum senescente. *Solutio* lenis *tartratis stibii, et potassae* (71) plerumque hic sufficit, atque non raro sine alio auxilio febrem intermittentem rheumaticam sanat, vel saltem eam post unum alterumve nychthemerum ad simplicitatem perducit. Si capitis, vel pectoris, vel artuum dolores, absentibus plethorae indiciis, urgerent, vesicatorio locus foret.

Cura febris intermittentis gastricae.

10. Sub ipso paroxysmo febris intermittentis gastricae, vix alia methodus requiritur, quam

(70) Viennae mercatoris curam suscepi febre tertiana laborantis. Morbus erat consueto cortici rebellis. Adhibito exquisitissimo, adhuc gravior reddebatur. Confugi tandem ad venaesectionem, qua vix peracta, febris illico cessavit. Vide similia apud Rossii *Medicinische Beobachtungen. A. d. E* Leipzig 1792. S. 200.

(71) R. Tartratis stibii et potassae (Tartari emetici) granum unum. Aquae destillatae simplicis libram unam. D. S. omni prima, vel secunda hora vasculum semis coffeanum.

ea, quae in simplici morbo commendata fuit (72). Attamen vomitum ibi sub frigoris stadio comparentem non libenter sedamus; promovemus potius potu tepido. Vigente calore porrigitur *solutio supertartratis potassae.* Etiamsi dolor capitis valde urgeret, hîc non facile ad opium confugiendum, quod diathesi gastricae reali adversatur. Apyrexiae sub stadio quo magis series symptomatum gastricorum vigere continuat, eo magis morbum remediis complicationi accommodatis aggredimur. Primum est saburram, ut dicunt, mobilem reddere, qui scopus attingitur, tum *solutione tartratis stibii, et potassae*, tum *pulveribus resolventibus* (73), tum pulvere *muriatis ammoniae* secunda, vel tertia quaque hora a scrupulo semis ad scrupulum unum porrecto. Dum remedia hujusmodi unam, alteramve evacuationem jam produxere, sequens paroxysmus plerumque mitior evadit. Quocumque in casu, adveniente proxima apyrexia, pro re nata, dum scilicet saburrae, vel bilis superius turgent, *emeticum:* dum inferiora versus, *purgans*: dum per utrasque vias, in robusto aliunde aegro,

(72) Sect. 3-6. hujus §.

(73) *Pulveres resolventes.* R. Pulveris supertartratis potassae unciam semis. Tartratis stibii, et potassae granum unum. M. exacte, et divid. in octo partes aequales. Cap. omni secunda hora dosis.

emeto-purgans exhibetur (74). Evacuationes tali pacto obortae vel febrem omnino fugant, vel eam ad statum intermittentis *simplicis* reducunt. Quod si febris et post evacuationes debito modo peractas, rebellis evaderet, vel vi cresceret, fallaciae symptomatum gastricorum memores (75), ab usu evacuantium abstinendum foret, eoque magis, si nullus in diaeta error subrepserit. Diaeta enim in febre intermittente gastrica praecipuum sistit curationis momentum. Esto ea vegetabilis, subacida. Absolutis evacuationibus, aegrotantibus viribus fractis vinum meracum, si placeat, cum pane tosto, et aromatibus porrigatur.

Cura febris intermittentis simplicis.

11. Perductis febribus intermittentibus complicatis ad statum *morbi simplicis*, vel in febre intermittente mox a primo initio *simplici*, ante omnia eruendum est, *utrum liceat morbum illico supprimere, nec ne*? Nequaquam licet, dum febris intermittens morbo cuidam chronico supervenerat, qui, ea vigente, aut evanescit, aut imminuitur, inprimis si morbus ille ex febre intermittente praepostere cinchona sanata ori-

(74) Formulae emeticorum et purgantium infra exponentur, capite scilicet de febre continua gastrica.

(75) Et hocce argumentum fusius in capite vix citato enucleabitur.

ginem duxerit. Hac enim ex caussa interdum digestionis incommoda, viscerum abdominalium infarctus, nervorum morbos, phthisin pulmonalem oriri posse, inter alios egregius Tissot (76) et Moseley (77) omni jure testantur. Verum non reticendum, multa damna, quae olim praematurae exhibitioni corticis cinchonae tribuebantur, potius febri adscribenda esse, diu scilicet nimis duranti. Atque ita opinantur et cl. viri Millar, Jakson, Lind, Brocklesby, quorum testimonia collegit cl. Wilson (78). Et re quidem vera in genere quam primum id fieri potest, febri intermittenti finis ponendus, et, absente quidem complicatione, mox cortice cinchonae officinalis, quam sententiam ex illimitata nostra hoc in morbo experientia depromtam, et testimonio eximii Heberden (79) suffulcimus.

Cinchona.

12. *Cortex cinchonae officinalis* genuinus, bonaeque indolis, remedium adeo securum febris intermittentis legitimae simplicis est, ut inter centenas aegros hoc morbo laborantes, vix unus inveniatur, qui paucorum dierum spatio ejus ope non sanetur. Qui contrarium di-

(76) *Schriften Th.* IV. *Kap.* 8. *Art.* 13. *S.* 215.
(77) Moseley op. cit. p. 190 sq.
(78) L. c. p. 257 sq.
(79) Op. cit. cap. 38. extremo.

citant, atque virtutem divini prorsus remedii maximo Creatoris dono generi humano impertiti in dubium vocare, vel denigrare audent, hi vel ab hypothesibus, vel contradicendi cupiditate obcoecantur, vel ad eos amandandi, quorum malignitas non alia prorsus ratione eximia pharmaca, ac homines magni ingenii, obtrectare solet. Sunt tandem qui cinchonae virtutem minoris pretii facere simulant, ne fateri adigantur, continentem nullo pacto posse commercio maritimo absque magno generis humani detrimento carere.

Cinchonae species.

13. Post infinita pericula cum *cortice cinchonae* tum *consueto*, tum *rubro*, tum *flavo* instituta, fatemur, hisce corticis speciebus aequalem omnino vim febrifugam inesse, dummodo bonae sint notae (80).

Tempus administrationis.

14. Pro corticis cinchonae usu *apyrexia* eligitur; vigente enim paroxysmo remedium hujusmodi plerumque vel vi salutari caret, vel

(80) Cortex quidem *flavus*, qui ab aliquot annis in Europae officinis invenitur, ceteras species virtute antecellit, sed non alia ex caussa, quam quod hac minoris notae esse solent. Quotiescumque nempe cortice cinchonae ordinario, quem aliquando generositate Nuntiorum Hispanicorum accepi, utebar, semper eum corticem flavum officinarum vel virtute adaequantem, vel superantem inveni. Mirifice is

infinitas generat molestias, anxietatem scilicet, ventriculi oppressionem, vomitum, dysuriam, caloris febrilis augmentum etc. Tuto tamen cortex in apyrexia etiamsi imperfecta, uti in febribus subcontinuis, vel declinante paroxysmo in febre intermittente subintrante, porrigi potest.

Forma.

15. Cinchona in subtilissimum *pulverem* redacta, aqua commixta (81), sive *electuarii* (82) sub forma porrecta singula ex ea deducta praeparata vi febrifuga antecellit. Tanta enim est pulveris corticis efficacia, ut vel ejusdem pars, quae jam pro decocto parando inserviit, si exsiccetur, novi fere corticis ad instar agat (83). Verum neque vim febrifugam *extracti*, praecipue vinosi vel decocti cinchonae in dubium vocamus (84). Raro ad *tincturam cinchonae*

agebat cortex, qui sub nomine *chinae quajanaé* mihi tradebatur, quique hoc peculiare exhibebat, quod constanter urinam colore perfecte viridescente tingeret.

(81) In nosocomiis ne cortex ab infirmariis, aut, ut experti sumus, ab ipsis aegrotantibus venditetur, juvat eum jam aqua infusum ex officina praescribere.

(82) R. Pulveris corticis cinchonae officinalis unciam et semis. Fiat l. a electuarium cum s. q. Syrupi corticis ejusdem. D. S. omni prima sive secunda hora ad magnitudinem nucis.

(83) Atque id demonstrant multiplicia experimenta, quae tum in clinico instituto Universitatis Vilnensis, tum in eo, quod societatem Beneficientiae attinet, institui.

(84) Extracti via frigida parati (sal essentiale chinae) virtutem nunquam tentamini subjecimus.

recurri potest, quoniam, ut ea effectum desideratum producere posset, magna quantitate porrigi deberet, ac proinde verendum esset, ne ob alcohol aeger nimis irritaretur. Interdum tamen, saltem ad recidivas apud eos impediendas, qui pulverem cinchonae omni pacto respuunt, tinctura corticis, addito extracto, in usum deduci potest (85).

Dosis. Modus exhibendi.

16. Ad praecavendum futurum paroxysmum non raro drachmae duae cinchonae exquisitissimae sufficiunt. In genere tamen uncia una requiritur, atque unciae tres ad curam totius morbi, atque convalescentiae absolvendam. Plerumque prima illa dosis curriculo unius apyrexiae porrigi potest. In subcontinuis vero, quotidianis, et tertianis duplicibus hoc ob brevitatem curriculi illius difficile fit, saltem non sine molestia aegrorum; quamobrem, nisi periculum immineat, sufficit memoratam cinchonae dosin, unciam scilicet unam spatio duarum apyrexiarum exhibere. In febre autem perniciosa omni pacto non solum uncia una, sed et ultra, tempore apyrexiae praescribi debet. Servante febre typum tertianae, vel quartanae, plerumque drachma una pulveris

(85) R. Extracti corticis cinchonae officinalis drachmas duas Tincturae corticis ejusdem uncias duas. M. bene. D. S. omni secunda vel tertia hora cochleare coffeanum.

cinchonae sine incommodo secunda, vel tertia quaque hora suppeditatur. Quocumque in casu prima corticis dosis, statim cessante sudore, exhibenda, ne scilicet aeger, ingruente apyrexia saepe obdormiens, paulo post remedii sumendi gratia a somno excitari debeat. Minorem dosin cinchonae proxime ante paroxysmi adventum porrectam efficaciorem esse largiori longe antea adhibita, nunquam confirmatum vidi. Nec consultum videtur ad suppeditandum corticem appropinquantem paroxysmum expectare, utpote qui, si praeter consuetudinem anticiparet, exhibitioni remedii obstaculo foret.

Correctiva.

17. Cortex cinchonae in genere *nullo adjuvante*, vel *corrigente* remedio indiget, atque inutilis sane, quin imo damnosa est consuetudo illi vinum, aromata, amara, narcotica, vel excitantia jungendi. Methodus hujusmodi solum in specialibus quibusdam casibus locum obtinet. En casus hujusmodi : interdum vix sumta cinchona, pondus, aliaque *ventriculi incommoda oriuntur*. Hoc incommodum si perseverat, aut si vires aegri praeter modum fractae essent, cortex cum *vino* sumi potest. Eligitur vinum aciditate expers, meracum. Si aeger vinum respuat, vel ab eo calefiat, enarratis incommodis pulvis *corticis lauri cinnamomi*, vel *ejus*, vel

menthae piperitae oleum destillatum cinchonae superadditum prospiciunt (86). Difficilius est *sensum aciditatis*, vel *ardoris ventriculi*, qui post usum corticis aliquando advenire solet, corrigere. Juvat tamen saepe hoc in casu connubium cinchonae cum pulvere *magnesiae*, et *gummi mimosae niloticae* (87). Aegre corticem ferunt *haemorrhoidarii*, nisi jungatur, saltem sedato jam primo febris impetu, *supertartrati potassae* (88), vel *radici rhei palmati* (89). Connubium hujusmodi ultimum, quocumque in casu a cinchona alvus adstringitur, conducit, rite monentibus LANCISIO (90), MEAD (91) et VALCARENGHI (92). Alias cortex per *alvum* ruit, aut *vomitu* rejici solet, nisi unicuique ejusdem dosi cochlear unum alterumve *mixturae opiatae* (93) praemittatur. Improbamus etenim mo-

(86) E. c. grana quatuor pulveris cinnamomi vel totidem guttulae olei essentialis ad drachmam unam corticis cinchonae.

(87) R. Pulveris corticis cinchonae scrupulos duos. P. magnesiae, P. gummi mimosae niloticae aa scrupulum semis. M. D. Cap. omni secunda, vel tertia hora.

(88) E. c. scrupulum unum cremoris tartari ad scrupulos duos cinchonae.

(89) E. c. scrupulum semis radicis rhei ad drachmam unam cinchonae.

(90) Lib. II. Epid. IV. c. 6.

(91) Monita et praecepta medica. §. VIII.

(92) Diss. de usu, et abusu rhabarbari cortici uniti. Cremae 1748.

(93) R. Infusi sive aquae destillatae herbae menthae piperitae uncias quatuor. Tincturae opii compositae SYDENHAMI guttas quindecim. D. pro usu indicato.

rem opium immediate cinchonae pulveri miscendi, nam facile necessitas illud exhibendi cessat, continuante indicatione hanc porrigendi, quo in casu superstites pulverum doses, utpote superfluae rejici debent, quod pro piaculo habemus. Fatemur quoque, cinchonam ideo non semper virtute destitui, dum per alvum ruit: imo levis diarrhoea sub usu corticis interdum potius conducit; quamobrem cauti estote quoad connubium illius cum opio.

Cinchonae praeparata.

18. Si aeger nullo pacto pulverem cinchonae perferre posset, ad *extractum vinosum* (94), vel ad *decoctum saturatum* (95) ejusdem corticis confugiendum foret, quorum primum ad unciam semis, alterum ad libram unam curriculo apyrexiae exhibere oportet. Hac sub rerum positione et *clysteres ex cortice* parati (96), praemissis enematibus simplicibus ad intestinum rectum a faecibus liberandum, abluendumque,

(94) R. Extracti cinchonae vinosi unciam semis: solve in vini hispanici dulcis unciis sex. D. S. prima vel secunda quavis hora cochlearia duo majora.

(95) *Decoctum corticis cinchonae saturatum.* R. Corticis cinchonae officinalis ruditer tusi unciam unam et semis. Coque per sextam horae partem cum s. q. Aquae fontis, vase clauso. Colat. librae unius detur.

(96) R. Corticis cinchonae ruditer tusi uncias duas. Coq. leniter etc. cum aquae simplicis libra una et semis, *quin coletur*. D. S. pro duobus clysteribus.

in auxilium ducendi. *Balneorum* vel *cataplasmatum ex cinchona* paratorum virtutem ex propria experientia in adultis indicare nequimus. Parum illis tribuit maxima medicorum pars, ne de carissimo illorum pretio sermonem instituam.

Cinchonae administratio in infantibus.

19. Balnea vero, et cataplasmata hîc enumerata, praeter clysteres ex decocto cinchonae saturato, in *febribus intermittentibus infantum* in usum duci queunt. Apud recens natos universam cutem pulvere finissimo cinchonae adspergere juvare videtur. Ceterum tenera adeo in aetate infantes etiam haud difficulter *syrupum cinchonae* deglutiunt, cui aliquot grana *extracti* ejusdem superaddi possunt. Securitatis gratia et *nutrici* pulverem corticis porrigere licet, a qua methodo febrem intermittentem prolis fugatam legimus (97). Infantes aetate jam provectiores, sed judicio adhuc destituti, vel inobedientes cinchonam potui *coffeae*, et *lacti* nuptam, haud difficulter sumere solent. Pueris etiam optime convenient consilio HEBERDENI (98) extracti cinchonae, sacchari singulorum scrupulus, aquae cochleare, et sesqui cochleare lactis. Potest et *glacies condita*

(97) *Samml. aus Abh. f. p. A.* I. B. S. 37.
(98) Op. cit. p. 142.

ex saturato cinchonae decocto in lacte, superaddito saccharo, et cinnamomo parari, infantibus non solum, sed et adultis, prasertim ad vomitum proclivibus, pretiosum remedium.

Monitum.

20. Sed et *complicationes* febrium intermittentium in infantibus minime negligendae. *Inflammatoria* complicatio abigitur *hirudinibus*, *nitrate potassae* e. c. cum *syrupo succi inspissati fraxini orni*; *gastrica syrupo* radicis vel *cephaelidis ipecacuanhae*, vel *rhei palmati*. *Vermibus* intermittentibus junctis specifica opponitur methodus (99).

De remediis surrogatis in genere.

21. Magnum praesenti aevo corticis cinchonae pretium, difficultas eum bonae notae acquirendi, et peculiaris quorundam aegrorum nullo pacto superanda adversus eundem idiosyncrasia, vel praeconcepta opinio medicos ad alia in febribus intermittentibus adhibenda remedia impulere, quorum nonnulla vel ante cinchonae inventum praescribebantur, alia tandem ex novis experimentis innotuere. Quamvis studium, quod ponitur in detegendis remediis, quae cinchonae subrogentur, maximi faciam; fateor tamen, medicos hucusque parum hac in re pro-

(99) Vid. Cap. de Vermibus. Part. III.

fecisse. Adhuc nempe desideratur remedium, quod generalem, et constantem cinchonae contra febres intermittentes virtutem adaequet. Non desunt enim pharmaca, quae in datis harum febrium epidemiis, fere cinchonae ad instar agunt; at haec ipsa pharmaca, alia adventante epidemia, effectu saepe omnino destituuntur (100). Hoc idem ipsa cum cinchona interdum contingere, suspicor quidem (1); at si revera contingat, mehercle perraro. Excipi autem debent febres intermittentes complicatae, inprimis gastricae. Quare sapienter egregius HEBERDEN: « Cortex, quamvis rite sumtus, interdum parum efficax est: quo in casu suspicio erit, ventriculum sordibus onustum vim remedii impedire. Itaque vomere oportet, quo facto febris non raro cedit (2) ». Ceterum utile opus esset characteres febrium intermittentium ap-

(100) Febres intermittentes, quae anno 1801 vere, et aestate Vindobonae grassatae sunt, seminibus phellandrii aquatici constanter sanavi; sequentibus autem annis idem remedium eodemque in morbo spem semper frustravit. Similia relate ad corticem aesculi hypocastani inveniuntur in apparat medicaminum MURRAYI Vol. III. p. 128. sq.

(1) Anno, ni fallor, 1787 medici Insubriae fere omnes conquerebantur, corticem peruvianum in tollendis intermittentibus consuetum effectum minime produxisse. Inprimis hoc adscribebatur pravae cinchonae conditioni, at quum ipsa optimae indolis inveniretur, culpam in peculiarem febrium indolem refuderunt.

(2) Op. cit. p. 142.

prime eruere, quae variis cinchonae remediis surrogatis, in specialibus epidemiis, devictae fuere. — Patet autem quoque, de nullo inter ea remedia certum judicium ferri posse, nisi illius virtus febrifuga ab experientia nonnullorum annorum confirmetur. — Hic vero non possum, quin moneam, remediis cinchonae surrogatis hucusque cognitis, minus oeconomiae consuli, quam primo intuitu videri posset; magnum enim oeconomiae momentum in eo positum est, ut morbus citius, tutiusque, quam fieri possit, tollatur; at si consideremus magnas remediorum surrogatorum doses, quae plerumque ad morbum debellandum requiruntur, necessitatemque, ubi non prosint, ad cinchonam tandem serius ocyus confugiendi; palam fit, hujusmodi remedia surrogata praesertim in nosocomiis, in quibus ad tempus longioris detentionis aegrorum ob victum, aliasque caussas, ratio simul est habenda, saepe ipsius cinchonae pretium superare (3). Haec omnia vero nos non impedient hic de praecipuis cinchonae remediis surrogatis disserere; de omnibus enim arduum foret (4).

(3) Idem fatetur et calculo demonstrat Cl. Bourges. Vid. *Journal général de médecine* etc. Tom. XXXV. Mai 1809 p. 47 sq.

(4) Enumerationis longioris succedaneorum corticis peruviani tanquam febrifugi remedii, labore supersedere possum, cum

Radices variae.

22. Radicem *cephaelidis ipecacuanhae* tum refracta omnino dosi, tum ad ipsam nauseam, vomitumque usque porrectam non raro in febribus intermittentibus tollendis proficuam invenimus, invenerunt jam pridem GIANELLA (5), et WICHMANN (6). Praecipue hoc remedium in iis intermittentibus conducit, quas insolita ciborum aversio comitatur. Radix quoque *acori calami* in intermittentibus laudem meretur (7). Exhibetur in pulvere ad scrupulos duos, interpositis spatiis idoneis. Non ita laude digna radix *gei urbani* (8), licet cinchonae ad instar ad uncias tres exhibita fuerit. Radicem *gentianae luteae* (9) quoque uti febrifugum commendatam, nunquam, nisi cum aliis remediis junctam, in febribus periodicis tentavimus. Nec

I. C. RENARD (*die inlandischen Surrogate der Chinarinde.* Mainz 1809. 8.) et PH. JAC. PIDERIT (*uber inlandische Surrogate fur die Chinarinde.* Gott. 1809. 8.) hac de re copiose scripserint.

(5) De admirabili ipecacuanhae virtute in curandis febribus. In HALLERI coll. diss. pract. T. V. No. 155.

(6) Vid. SCHAERTLICH Diss. de usu opii in febre intermittente. Goett. 1783.

(7) Acta Soc. Med. Havniensis Vol. II. p. 206. HEBERDEN l. c. p. 142.

(8) BUCHHAVE Observationes circa radicem gei urbani 1781.

(9) MURRAY Op. cit. T. II. p. 14. sq.

hisce in morbis hucusque radicem *anthemidis pyrethri* (10) tentamini subjecimus. Radix *aristolochiae serpentariae* utiliter in febre intermittente rebelli cinchonae jungitur (11).

Herbae nonnullae.

23. Inter herbas ad febres intermittentes sanandas, *menianthes trifoliatae* (12), et majori adhuc in gradu *artemisiae absynthii* (13), satisfecerunt, vim scilicet paroxysmorum infregerunt, ac febrem sensim sensimque debellarunt. Usi sumus succo recenter expresso, et alcohol, singulorum drachmis tribus, bis terve curriculo apyrexiae repetendis. Methodum hanc fere solum militibus, et rusticis, et quidem, absente omni diatheseos inflammatoriae indicio, accommodatam esse, per se elucet. Herbam *datiscae cannabinae* (14) eamque *taxi baccatae* (15) nunquam adhibuimus.

(10) *Journal der auslandischen medicinischen Litteratur.* 1802. Junius.

(11) R. Corticis cinchonae officinalis drachmas sex; radicis aristolochiae serpentariae drachmas duas. M. D. in octo partes aequales; vel M. fiat l. a. electuarium c. s. q. syrupi cinchonae; ut supra (No. 15) capiatur.

(12) Hufeland's *Journal der prakt. Heilkunde.* 2 Th. S. 457.

(13) Euermann's *Bemerkungen n. Untersuchungen.* 1 Th. S. 20. Kortum l. c. S. 15.

(14) Adhibuit Cl. Rubini in pulvere, a scrupulo uno ad drachmam semis bis quaterve de die, aut extractum a granis quatuor ad grana sex. Vid. *Medicinische National-Zeitung.* 1798. S. 345.

(15) Brera Comment. med. T. I Part. 1. p. 76. Adhibet prae-

Cortices varii.

24. Interdum cum successu, sed tamen nunquam illi cinchonae aequiparando, longe saepius sine omni fructu, adhibui quosdam inter laudatos in febre intermittente cortices, *cortices* scilicet *aesculi hypocastani* (16), *salicis* tum *albae* (17), tum *latifoliae* (18), tum *fragilis* (19), *quercus roboris* (20), *pruni padi*, et *spinosae* (21). Desideramus experientiam propriam relate ad virtutem febrifugam corticum *crotonis cascarillae* (22), *lyriodendri ulipiferae* (23) et *angusturae* (24).

ter folia, et corticem, utriusque scilicet pulverem, spatio nychthemeri partitis vicibus ad drachmas duas; extractum a granis decem ad grana duodecim.

(16) Turra lettera, ed alcune osservazioni sulla febrifuga qualità dell'ipocastano. Vicenza 1780. Zanichetti lettera intorno alla facoltà dell'ipocastano. Vid. Raccolta d'opuscoli scientifici, Tom. X. p. 200. Contra vid. *Journal général de médecine*. T. XXXV. 1809. Mai p. 34.

(17) Stone Philosoph. Transact. Vol. LIII. p. 195 sq.

(18) Experiments and observations on the cortex salicis latifoliae. By G. Wilkinson. 1803.

(19) Gerhard. Vid. Murrayi op. cit. Vol. I. p. 47.

(20) Scopoli Flora carniolica. p. 414.

(21) *Salzbusg. med. chirurg. Zeitung.* 1808. No. 77.

(22) Junkerus therapia generalis. p. 302.

(23) *Salzburg. med. chirurg. Zeitung.* 1809. No. 20.

(24) Brand treatise on angustura. 2. edit. 1793.

Flores aliqui.

25. *Flores arnicae montanae* non immerito in febribus intermittentibus commendatos fuisse (25), si paucis, quae cum iis institui, periculis pondus quoddam concedendum est, arbitror, praesertim in tertianis autumnalibus, in quartanis, in febribus intermittentibus sine nota caussa recidivas patientibus cum proclivitate ad obstructiones viscerum, ad oedema, absente inflammatoria quacumque dispositione. Interdum arnica sub iisdem rerum positionibus utiliter cinchonae additur (26). Florum *matricariae chamomillae* virtutem in febribus intermittentibus vel cinchonae rebellibus, testatur HEBERDEN (27).

Semina. Fructus.

26. Quid de virtute febrifuga *seminum phellandrii aquatici* sentiendum sit, jam monuimus (28). *Nucleos amaros amygdali commu-*

(25) STOLL Ratio medendi. T. III. p. 168. Vide etiam Collect. Soc. Med. Havn. T. II. p. 162. Ita: PLIES in HUFELAND'S Journal 9. B. 2 St. S. 87.

(26) Radicis aristolochiae serpentariae ad instar. Vid. supra (No. 22. Not. 11).

(27) L. c. Dosis scrupuli duo, corticis cinchonae ad instar repetendi.

(28) No. 31. Not. 100.

nis, qui jam a Bergio (29) et nuper (30) in febribus intermittentibus commendati fuere, pro suspecto habemus (31) atque haud securo remedio (32). Etiam *aqua pruni laurocerasi* semper incassum in febre intermittente a nobis adhibebatur. Nil circa virtutem febrifugam seminum *strychni nucis vomicae* (33), *ignatiae amarae* (34), *sinapis nigrae* (35), et *corticis fructus punicae granati* (36) ex propria experientia proferre possumus. Profuit non raro infusum ex fabis tostis (37), praesertim vero viridibus (38) *coffeae*.

(29) Materia medica. p. 413.

(30) Hufeland's *Journal der prakt. Heilkunde* 28 *B. St.* 2. S. 111. *St.* 3. *S.* 134.

(31) Relatum nobis fuit, Genuae hominem quartana laborantem, cui agyrta unciam amygdalarum amararum porrexerat, ab hac dosi necatum fuisse. Agyrta ad forum vocatus, exemplis patefecit, se tali modo jam multas quartanas rebelles sanasse.

(32) Aliquoties saltem sine fructu nucleos hujusmodi adhibui.

(33) Hufeland's *Journal.* 2 *B. S.* 493 sq.

(34) Hufeland l. c. S. 498.

(35) *Notice sur un remède propre à remplacer le quinquina; par le* D. Rehmann. *Moscou* 1809.

(36) Murray Op. cit. T. II. p. 326.

(37) Vulgatissimum atque haud raro efficax remedium, praesertim potatorum, febribus intermittentibus laborantium, sistit potus ex fabis tostis Arabicis cum succo citri, et *taphia.*

(38) *Erfahrungen uber den rohen Caffee. Von* Grindel. Hufeland's *Journal der praktischen Heilkunde.* 1809. *Eilftes Stuck.*

Narcotica. Excitantia.

27. De usu *opii* in febribus intermittentibus jam aliquoties mentionem fecimus (39). Ceterum illud ad febres hujusmodi radicitus evellendas impar esse, experti sumus. Extractum *hyoscyami*, et *hellebori nigri*, nec non *aconiti napelli* (40) nunquam hîc adhibuimus. *Oleum animale Dippelii* jam dudum in febribus periodicis praescribebatur (41), alia vero remedia ejusdem generis e. c. *moschus*, *aether sulphuricus*, *camphora* hodiedum potissimum systematis BRUNONIS gratia in therapiam hujus morbi introducta fuisse (42) suspicamur; vix enim illis potestas adversus intermittentes febres inest.

Murias ammoniae.

28. *Murias ammoniae* jam dudum celebritatem in febrium intermittentium cura acquisivit (43), atque eam ad hanc usque diem non amisit. Debet autem remedium hujusmodi magna dosi, e. c. a drachma una et ultra brevi

(39) No. 3. 5.
(40) HUFELAND'S *Journal* 2 *B. S.* 532. 18. *B. S.* 104.
(41) A WERLHOFFIO.
(42) MARCUS *Magazin d. speciel. Therapiae und Klinik.* 1 *St.*
(43) WILCHELM MUYS d.de salis ammoniaci praeclaro ad febres intermittentes usu. 1716. CAUSLAND in Medical Commentar. Vol. III. REIL op. cit. 2 B. S. 178.

ante paroxysmum porrigi; nam repetitis vicibus spatio apyrexiae et parva dosi nil efficit, rite monente cl. KORTUM (44). Verum non omnes aegri magnas muriatis ammoniae doses sine ventriculi incommodis perferre queunt. Hoc cum ita sit, raro curam febrium intermittentium omnino huic remedio committimus, saepius vero illud cortici jungimus (45), praesertim in intermittente autumnali, quae obstructionibus viscerum abdominis, debilitateque ventriculi stipatur.

Antimonium.

29. Et *antimonii* virtus in febribus intermittentibus celebratur (46), ea scilicet oxydi stibii hydrosulphurati praecipitati (kermes), et praecipue tartratis stibii, et potassae. Hoc ultimo remedio non solum in febribus intermittentibus gastricis, et rheumaticis utiliter usi sumus, sed in simplici etiam, praecipue vernali. Attamen in graviori casu nunquam satisfecit.

(44) L. c.

(45) R. Pulveris corticis cinchonae officinalis drachmas sex, P. muriatis ammoniae drachmas duas. M. D. in octo partes.

(46) UNZER's *Arzt* XII. B. CAUSLAND in Duncans *Med. Comment. for the year* 1781. 1782. Vol. VIII. MARX in TODE's *Med. Biblioth.* 2. Th. 0 St. S. 120.

Mars.

30. De usu *martis* contra sequelas nonnullas febrium intermittentium infra sermo erit (47); vel in ipso earum curriculo interdum utiliter ferrum, praecipue cum extractis amaris (48), adhibuimus, adhibuerunt alii (49). Sulphatum ferri (50) nullo tentamini adhuc subjecimus.

Mercurius.

31. *Mercurii*, praecipue muriatis hydrargyri virtus in ea febre, quae intermittentis ad instar decurrit, atque syphilidis progenies est (51), quotidie confirmatur. Existimamus imo, febres, de quibus fertur (52), eas nullo pacto cinchonae, sed solo tandem hydrargyro sanari potuisse, nec ad classem febrium intermittentium legitimarum pertinuisse. At ob id peculiarem vim febrifugam mercurii, de qua praeclari Auctores loquuntur (53), nequaquam

(47) §. XXXI. No. 11.

(48) R. Extracti herbae menianthes trifoliatae unciam unam. Pulveris limaturae martis purae drachmas duas. M. f. c. s. q. mellis electuarium. Cap. omni secunda sive tertia hora ad magnitudinem nucis.

(49) Grainger l. c p. 99. De Felici medicus nosocomii Ticinensis expertissimus.

(50) *Journal général de médecine* etc. T. XXXIV. 1809. *Janvier.*

(51) §. XXVIII. 2.

(52) Alex. Monro in Actis Edinb. Vol. VI. art. 47. Obs. 9.

(53) Burserius l. c. §. 186. Herz *Briefe 2te Sammlung* S. 109 Hufeland's *Journal* 3 B. S. 182. Lyson's *treatise of the*

in dubium vocamus, imo eam vel nuper in febre intermittente hepatis obstructione stipata, ipsi experti sumus.

Arsenicum.

32. Antiquus est usus *arsenici* in febribus intermittentibus, vel inter rusticos et judaeos Lithuaniae. Praecipue in artem introduxerunt hoc periculosum pharmacum Cl. Fowler (54) et Brera (55). Confirmatur illius virtus ab Ill. Wylie (56). Utitur idem praecipue solutione acidi arseniosi, et nitratis potassae, a guttis viginti sensim sensimque, idque cautissime dosin ad quadraginta augendo guttas. Praeterea plura circa usum arsenici inveniuntur apud Cl. Burdach (57) et Harles (58). Ad nos quod spectat, ter tantum arsenicum in febre intermittente adhibuimus, ac semper incassum. Nuper Berolini summis laudibus ab Heimio, aliisque

use of camphor and calomel in fevers. v. Edinburg medical Essay's and observations. Vol. VI.

(54) Thomas Fowler *Medical reports of the effects of arsenicum in the cure of agues. Lond.* 1786.

(55) Annotazioni medico-pratiche sulle diverse malattie trattate nella clinica medica di Pavia. Nuova ediz. accresciuta. Crema 1806. 4. Vol. II.

(56) Pharmacopaea castrensis Ruthena. p. 335.

(57) *Handbuch der prakt. Arzneymittellehre.* 3 Th. Leipz. 1806. S. 63

(58) *Journal der auslandischen med. Litteratur.* 8. B. 2 St.

celebrata est arsenici antifebrilis virtus (59). Laudatur et arsenias potassae (60).

Gelatina.

33. *Gelatinam animalem* a cl. SEGUIN in febre intermittente commendatam, quidem virtute non omnino destitutam esse vel propria experientia testatur. At longe abest, ut hoc remedium cum cinchona aequiparemus, si excipiamus forte quasdam epidemias febrium intermittentium, in quibus gelatina peculiari modo utilis videbatur (61). Optime virtutem hujus remedii ad trutinam vocavit egregius HALLÉ cum sociis (62). Ita cl. ALIBERT (63).

Remedia externa.

34.* *Remedia externa* non omnino in febribus intermittentibus supervacanea esse Cl. KORTUM jure monere videtur (64). Saepius ante inventum cinchonae in usum ducebantur (65). Loquor de *balneis calidis aromaticis*, de *emplastro de galbano* superaddita parva portione

(59) Vid. HORN's *Arch. der med. Erfahr.* 1810. B. III. St. 1.
(60) *Journal général de Médecine* etc. T. XXXIV. p. 270.
(61) GAUTIERI *Versuche und Beobachtungen uber die Wirksamkeit der thierischen Gelatina in intermittirenden Fiebern.* Vid. HUFELAND's *Journal* 18. B. 2 St. S. 120.
(62) *Journal général de Médecine.* T. XIX. p. 336. *Samml. auserl. Abhandl. fur prakt. Aerzte.* 21. B. 4 St. S. 410.
(63) *Élémens de therapeutique et de matière médicale.* T. I. p. 205.
(64) L. c. S. 18.
(65) TRNKA op. cit. p. 623.

emplastri vesicatorii, atque regioni epigastricae apposito etc.

Alia.

35. Res in imaginationem potenter agentes, *amuleta* et similia, nisus maximi corporis, animique (66) rebelles ceterum febres intermittentes sanasse, mulierculae quotidie narrant, ac fasti medici confirmant. Interdum rebellis febris a cibo, licet re ipsa hoc in morbo incongruo, sed vehementer desiderato, fugatur, quamobrem Hildanus ait: « quartanarii pica simul detenti, non prius febre liberantur, quam post perversi illius appetitus expletionem (67) » Nil vero securius rebellem intermittentem profligat, quam peregrinatio ad regionem febribus hujusmodi non faventem, montosam, et siccam.

Diaeta.

36. Quanti momenti *regimen diaeteticum* in cura febrium intermittentium sit, ex dictis (68) jam satis elucet. Cibi in simplici morbo praecipue ex regno animali depromi debent, e. c. caro juniorum animalium, excepto porco, porro lac, ova sorbilia. At et olera varii generis, dummodo non flatulenta, absente diar-

(66) Tali pacto *Quintum Fabium Maximum* a febre quartana in acie fuisse liberatum, historia refert.

(67) Klein l. c. p. 100.

(68) §. XXVII. 9. §. XXX. 3. 10.

rhoea, concedi possunt. Fructus maturi, atque dulces, modica quantitate quidem, non raro aegris in morbo, de quo sermo est, haud nocent; immo extant exempla febrium intermittentium pertinacissimarum, eorum, praesertim uvarum ope sanatarum; at in genere prudentius est a fructibus abstinere, nisi vino coctis, saccharoque edulcoratis, non neglectis consuetis aromatibus. Vinum, cerevisiam, imprimis eam, quae vulgo *porter* (69) dicitur, coffeam, theam concedi posse, per se patet.

§. XXXI.

RECIDIVAE, ET SEQUELAE.

Recidivae periculum.

1. Neque sanitatem attigisse credamus, dum paroxysmi febris intermittentis suppressi sunt; latet enim nihilominus morbus, minima porrecta opportunitate iterum proruplurus. Periculum recidivae maxime imminet, dum aegri quo tempore paroxysmus ingruere erat solitus, peculiari corripiuntur languore, dum a somno haud reficiuntur, dum adspectum cachecticum prae se ferunt, dum a cibis abhorrent, dum

(69) Moseley op. cit. p. 191.

menstrua imminent, vel adsunt, dumque epidemica constitutio febrium hujusmodi evolutioni favere haud cessat. « Febrientes, si non in diebus imparibus febris dimiserit, recidivare solent »; ita HIPPOCRATES (70). Confirmat hunc aphorismum expertissimus VON HOVEN (71), asserens, quod febres intermittentes, quae ope cinchonae coguntur, ut paroxysmo pari (e. c. secundo, quarto, sexto) cessent, redeant, atque non aliter tandem, quam paroxysmo impari terminentur. Quoniam in praxi nosocomiali impossibile fere est recidivarum habere rationem, praxis autem privata limitatam tantum offert opportunitatem observationes colligendi, tam gravi in re meum adhuc suspendo judicium. Recidivae plerumque septimo, decimo quarto, et vigesimo primo die contingere solent, rite monente, ni fallor, cl. JAKSON (72). At, porrecta caussa, recidiva nulla non die contingere potest. Praecipuae inter hujusmodi caussas sunt error in diaeta, aër nocturnus, humidus: frigus, animi pathema ingratum, balneum frigidum, coitus etc. Caussae hae praecipue perniciosae observantur, dum ea in aegrum agunt die, qua antea paroxysmum experiri erat soli-

(70) Aphor. Sect. IV. No. 61.
(71) Op. cit. 1 Th. S. 94.
(72) Op. cit.

tus, animadvertente jam CELSO (73). Prudens igitur est consilium STRAKII (74), ut per totum convalescentiae curriculum, calculus dierum, vel horarùm, quibus antea paroxysmi adventare erant soliti, retineatur. Recidivae primo morbo pejores esse vulgo existimantur; at saepe saepius nullum discrimen detegere potuimus. Febres iutermittentes cinchona sanatas, magis quam ceteras, ad recidivas pronas esse, falsa est opinio.

Quomodo evitanda.

2. Ut periculum recidivae avertatur, praeter regimen diaeteticum, usus continuatus cinchonae, vel alterius febrifugi exposcitur. Est tamen modus in rebus, nec convalescentes pharmacis obrui debent. Jugulato jam paroxysmo, spatio primi, secundi, tertii nychthemeri, drachma una pulveris corticis cinchonae mane, et vespere sumta, ad impediendam recidivam sufficit. Dein satis est tertia quaque die, et quidem in tertiana die paroxysmo respondente, talem exhibere dosin. Rebus bene se habentibus quies tunc spatio aliquot dierum conceditur, confugiendo tardius iterum ad febrifugum, ita ut spatio trium hebdomadarum patienti tres, aut quatuor unciae exhibeantur. Atque sic in

(73) De medicina. Lib. III. cap. 16.
(74) Op. cit. p. 96.

febre intermittente benigna; in perniciosa nempe ad minimum duplex requiritur dosis ad curam omnino absolvendam. Hominibus cinchonae pulverem respuentibus potest quidem decoctum saturatum corticis ejusdem exhiberi; at vix ei fidendum; saepe saltem sub illius usu recidivas contigisse observavi. Idem accidere solet, dum, fugatis paroxysmis cinchona, remediis amaris recidivas praevenire credimus. Praesentiam fluxus menstrui non solum hîc corticis usum non excludere, sed imo expostulare, nunquam obliviscendum.

Cura recidiva.

3. Febris intermittens recidiva, aliarum febrium intermittentium ad instar, pertractari debet. Interdum juvat et illam non statim supprimere, praecipue si desiderium ciborum a praegressa febre deletum, apparente nova, restituatur. Et caussae recidivam excitantis ratio habenda. Facile enim recidiva complicata fit, quamvis praegressa febris simplex fuerit.

Ad revocandam febrem intermittentem.

4. Si forte febris intermittens praepostere sanata fuisset, quaeritur, quid ad eam revocandam fieri liceret? Favente annua constitutione adhuc febribus intermittentibus plerumque nil facilius, quam suppressam iterum excitare febrem, et quidem adhibito fortiori purgante sa-

lino. At, deleta jam jam constitutione illa, vix possibile existimamus febrem intermittentem arte excitare, nisi forte ope gaz acidi carbonici (75). Qui contagiosam harum febrium naturam admittunt, suadent cum hujusmodi febricitantibus commercium inire.

De sequela in genere.

5. Sequelae febrium intermittentium tot alios morbos constituunt secundum regulas alibi exponendas, pertractandos. Verumtamen, quum morbi hujusmodi ex intermittente orti plerumque specifici quid offerant, non inutile erit, hic summatim nonnulla de hoc argumento tradere.

Lienis tumor.

6. Lienes praegrandes a febribus intermittentibus orti, continuato cortice ad pristinam molem saepissime reducuntur, quae Burserii, et Strakii propositio et nostra experientia confirmatur. Saepius tamen, inprimis dum aegri antea jam cinchona abusi sunt, murias ammoniae decocto radicis tritici repentis nupta prodesse solet. Si lienis hujusmodi tumores diathesi scorbuticae conjungantur, cortici cinchonae radix acori calami addenda, non neglecta simul tin-

(75) Vid. Hufeland's *Journal der prakt. Heilkunde* VI. *B. S.* 278. 282.

ctura sulphurica aromatica (76). Juvat etiam lienis regioni unguentum althaeae cum camphora, aut saponem ammoniacalem illinire. Mercurius vero semper nocet. Remedium in Italia vulgare, atque interdum praestantissimum est, lienis regionem prius charta bibula, butyro imbuta cooperire atque virgis bis, ter de die, spatio quartae, vel dimidiae horae partis, percutere.

Hepatis obstructio.

7. Relicta hepatis obstructione a febre intermittente, jam cautius cinchona adhibenda, et nisi cito prosit, etiam seponenda. Remedia sic dicta solventia hic melius conducunt, praesertim incipiente jam ictero, quo in casu scilicet amara salibus neutris nupta ceteris remediis palmam arripiunt (77). Sub periculo recidivae febris, illis cinchona mederi potest (78). Utiliter

(76) R. Corticis cinchonae officinalis ruditer tusi drachmas sex. Coque leniter per sextam horae partem cum s. q. aquae fontis; sub finem coctionis adde radicis acori calami concisi drachmas tres. Stent in digestione per quadrantem horae, vase clauso; colaturae librae unius adde tincturae sulphuricae aromaticae drachmam unam, syrupi corticis aurantiorum unciam unam. Capiat more solito.

(77) R. Herbae menianthes trifoliatae drachmas tres. Coque c. s. q. Aquae fontis etc. ad colat. unciarum decem, cui adde sulphatis magnesiae drachmas duas.

(78) R. liquoris acetatis potassae unciam semis. Extracti cinchonae drachmas duas. M. affunde aquae menthae piperitae uncias septem. Adde syrupi rhei palmati unciam unam. D. S. omni secunda sive tertia hora cochlearia duo majora.

quocumque in casu, dummodo absit diathesis scorbutica, hepatis regioni tantillum unguenti hydrargyri grisei illinitur (79).

Oedema pedum.

8. Oedema pedum sub debito urinarum profluvio, applicitis fasciis cruribus, recreatisque convalescentis viribus, sponte evanescit. Lenes crurum frictiones, aut subfumigium ex baccis juniperi communis carbonibus accensis adspersis etiam conducunt. Quo primum autem urinae copia evidenter imminuitur, aut lotium copiosum sedimentum offert, fascias illas, quoniam aquam sursum pellunt, reprobamus, atque remedia amara, ipsamque cinchonam salibus neutris, et radici scillae marinae conjunctam suademus (80). Nec mercurius hîc interdum vi diuretica destituitur.

(79) Unguenti althaeae unciam unam. Unguenti hydrargyri grisei drachmas duas. Camphorae rasae drachmam unam. M. D. S. Illiniatur bis de die hepatis regio, ad nucis magnitudinem.

(80) Miraculi ad instar sequens hoc in casu agere solet remedium. ℞ Pulveris corticis cinchonae officinalis unciam unam et semis. Pulv. supertartratis potassae unciam semis. P. nitratis potassae drachmas duas. Mellis acetatis scillae unciam unam. M. f. c. s. q. roob baccarum juniperi communis electuarium. Cap. quater de die ad magnitudinem nucis.

Arthritis.

9. In arthritide ex febre intermittente, cinchona potissimum remedium. Vidimus tamen illud haud proficuum fuisse, quo in casu egregie opium antimonio et extracto aconiti napelli nuptum, conduxit (81). Et vesicatoria, et balnea tandem in usum duci queunt.

Dyspepsia.

10. Dyspepsia a febre intermittente relicta plerumque evanescit, sepositis quibuscunque remediis, equitatione, studiorum, et curarum domesticarum fuga, potu ex fabis arabicis tostis sine lacte, cui frustulum scrupuli unius radicis amomi zingiberis, vel fabarum epidendri vanillae infunditur. In rebelli malo refractae radicis cephaelidis ipecacuanhae doses (82) conducere solent. Alias ipse corticis cinchonae continuatus usus, praesertim ille infusi cinchonae frigidi (83).

(81) R. Vini antimoniati Huxhami unciam unam. Extracti aconiti napelli, tincturae opii compositae SYDENHAMI ad drachmam unam. M. D. S. ter de die guttas viginti cap.

(82) R. Radicis cephaelidis ipecacuanhae grana quatuor. Elaeosacchari macis drachmam unam. M. divid. in sex partes aequales. S. ter de die pulverem.

(83) *Infusum cinchonae frigidum.* R. corticis cinchonae officinalis ruditer contusi uncias duas. Aquae fontis libram unam et semis. Stent in digestione per nychthemeri spatium; colatura det. S. ter de die vasculum unum coffeanum.

Atonia.

11. Si simplex tantum *debilitas* superesset solito rebellior, praesertim cum pallido corporis habitu, aut catameniorum suppressione, absentibus tamen obstructionibus viscerum abdominalium, junge cinchonae martem, exemplo BURSERII (84).

Mania.

12. *Maniam* post febres intermittentes, diuturnas licet, nunquam conspeximus. Loquitur de ea SYDENHAMUS (85) monens, sub congrua medela aegros quidem cum viribus mentem sanam acquirere, alias autem, praecipue post evacuationes fortiores adhibitas, morbum in miseram stultitiam degenerare.

(84) Op. cit. Vol. I. §. CXC.
(85) Opera L. B. 1741. 8. p. 84. 102. 125.

Caput III.

DE FEBRIBUS CONTINUIS IN GENERE.

§. XXXII.

DE ARGUMENTO GENERATIM.

Definitio.

1. Febris continua ea est, quae aegrum ab initio morbi usque ad illius transitum vel in sanitatem, vel in aliam aegritudinem, vel in mortem detinet.

Doctrinae dignitas.

2. Doctrina febrium continuarum memorabile praxeos medicae objectum sistit. Non enim solum febres hujusmodi vulgatissimam morborum classem constituunt, sed et earum notio doctrinae inflammationum, et exanthematum pro basi inservit.

Scriptores.

3. Insudarunt in doctrina febrium continuarum excolenda scriptores memorati (86), prae-

(86) §. XXVII. 3.

terea Cl. Lommius (87), Pringle (88), Fordyce (89), Clarke (90), aliique permulti infra recensendi.

§. XXXIII.

DECURSUS MORBI.

Invasio.

1. Plerumque febres continuae a generalibus symptomatibus prodromis febrium (91) nuntiari solent. Alias inopinato aggrediuntur. Utroque in casu morbus utplurimum levi frigore cum calore alternatim comparente incipit. Calor dein praecipuum atque constans hujus morbi symptoma constituere solet. Accedunt sensus aegritudinis, sitis, aliaque symptomata pro re nata potissimum sedem habentia in systemate nervoso, gastrico, cutaneo, sanguineo, vel in plurimis systematibus simul. Febris de die in diem, quinimo de hora in horam crescit, do-

(87) De curandis febribus continuis. Amsterd. 1745. 8.

(88) Op. cit.

(89) *Ueber das regelmäsige anhaltende Fieber und dessen gründliche Kurart.* Zittau 1799. 8.

(90) *Observations on fevers, especielly those of the continued type etc.* London 1780. 8.

(91) §. XVIII. 2.

nec tandem fastigium, sive acmen attingat. Huc perventa febre, morbus vel convalescentiam versus, declinat, vel alio morbo, vel morte terminatur.

Cruditas. Coctio.

2. Crisis febrium continuarum cum nonnisi in acme morbi contingere, atque plerumque evacuationibus stipari soleat, veteres metaphorice quidem, sed non inepte, duo stadia hujusmodi in febribus animadvertebant, *cruditatis* videlicet, et *coctionis.*

Remissio. Exacerbatio.

3. Febres licet continuae, rarissime tamen aequali prorsus vi, ita scilicet, ut nomine *continentium* dignae essent, saeviunt. Plerumque nempe matutino tempore paullo lenius affligunt (*remissio*), atque versus solis occasum invalescunt (*exacerbatio*). Interdum contrarium contingit.

4. Exacerbationes autem vel quotidie accidunt (*febris amphimerina*), vel alternis diebus (*febris tritaeophya*), vel singulis quidem diebus, sed alternis sibi correspondentibus (*febris hemitritaea*), vel, quod nunquam vidimus, quarta quavis die (*febris tetartophya*). Non raro binae exacerbationes nychthemeri spatio recurrunt.

Exacerbationes accidentales.

5. Nonnullae res ordinem remissionum, et

exacerbationum pervertunt. Huc spectant errores in diaeta, pharmaca incongrua, animi pathemata, applicatio mentis, sermocinatio, nimius adstantium numerus, praecipue vero temperatura cubiculi justo major.

§. XXXIV.

CAUSSAE, ET DIAGNOSIS.

Caussae praedisponentes, et excitantes.

1. Caussae generales febrium (92) et eas, quas continuas diximus, excitant. Praeterea quodvis harum febrium genus proprias agnoscit caussas suo loco exponendas. Sufficiat hîc meminisse, in specie febribus continuis plerumque ansam porrigere ignotam constitutionem annuam, vel epidemicam, contagia, vicissitudines temperiei, animi pathemata, pravum vivendi modum etc.

Caussa proxima.

2. Et febrium continuarum caussam proximam medici incassum divinare sategerunt, etenim nonnisi vanas hypotheses in lucem ediderunt. Nec ab iis immunes fuerunt celeberrimi in arte viri Alexander Trallianus (93),

(92) §. XIX.

(93) De arte medica. Lib. XII. c. 2.

Pringle (94), Selle (95) etc. Nos quod spectat, tam futili labori valedicimus. Opinamur solum, caussam primo proximam febrium continuarum non unam, eandemque esse. Ita saltem docere videntur diversitas caussarum, a quibus febres hujusmodi excitari solent, varium periculum, quo stipantur, variaque medendi methodus, quam exposcunt.

Diagnosis.

3. Diagnosis febrium continuarum longe facilior ea intermittentium. Paucae enim ex febribus secundariis sub forma continuarum sese offerunt, et dum hoc accidit, morbus primarius adeo obvius est, ut medici attentionem effugere nequeat. Quomodo vero febres continuae ab intermittentibus differant, abunde dictum est (96), qua in re praesertim diagnosis subcontinuarum (97) ad mentem revocanda.

Divisio.

4. Ut aliquis ordo in febrium continuarum tradenda doctrina habeatur, oportet eas in genera, et species dividere. Nunquam vero obli-

(94) Op. cit. p. 169.
(95) Pyretologia. §. 20. 23.
(96) §. XX. 4.
(97) §. XXVIII. 3.

viscendum, hujusmodi divisiones semper artis plus, quam naturae vestigia offerre. Confluunt nempe ita febres hae inter se invicem, ut earum limites in libris quidem facile, ad aegrorum vero lectos saepe difficulter admodum statui possint. Dividimus febres continuas in *typhodes*, *gastricas*, *rheumaticas*, et *catarrhales*, nec non *inflammatorias.* De singulis speciatim. Capiti de febribus inflammatoriis appendix *de inflammationibus in genere* addetur.

Caput IV.

DE FEBRIBUS TYPHODIBUS.

§. XXXV.

DE ARGUMENTO IN GENERE.

Definitio.

1. Febris continua, saepe a contagio oriens, magna virium prostratione, ac systematis nervosi labefactione, praesertim symptomatum contradictione stipata, valdeque periculosa, a nobis *typhodes* dicitur.

Divisio.

2. Febres typhodes vel citissime curriculum absolvunt, e. c. spatio nychthemeri, vel trium, vel septem dierum, aut segnius, a septimo ad decimum quartum, vel vigesimum primum diem, vel tardius adhuc a tribus scilicet hebdomadibus ad mensem, et ultra. Primo in casu febris typhodes nuncupatur *acutissima*, in altero *acuta*, et in tertio *lenta*.

Rerum ordo.

3. Exponemus eodem ordine doctrinam harum febrium, quatenus ea ad pathologiam spectat. Therapiam vero quod attinet, quum ea in singulis hisce febrium speciebus iisdem prorsus principiis innitatur, generatim deinde tradetur.

Febrium typhodium acutissimarum divisio.

4. Ad febres typhodes *acutissimas* revocamus *pestem*, *febrem sudatoriam Britannicam*, *febrem flavam Americanorum*, et *hemitritaeum Daciae*.

DE PESTE.

§ XXXVI.

DE ARGUMENTO IN GENERE.

Definitio.

1. Pestis est febris acutissima, summeque contagiosa, quae virium jactura subitanea, bubonibus, anthracibus, carbunculis, aut aliis inconsuetis, atque terribilibus symptomatibus insignitur, maximas strages edens.

Historia.

2. De morbis, pestis ad instar grassantibus, testatur quidem antiquitas (98); at genuinae pestis descriptionem non prius quam versus medietatem seculi sexti invenimus (99). Inprimis seculum decimum sextum ob pestem per totam Europam vagantem fatale fuit (100). Plerumque morbus ex Syria, et Barbaria ad Aegyptum migrat (1), ex Africa vero ad Eu-

(98) Thucydides de Bello Peloponnensi Historia. Lib. II. Ovidius Metamorphoseon Lib. VII.

(99) Procopius de bello Persico. Lib. II. c. 22. p. 142. Diodorus Siculus. Lib. 12. cap. 7.

(100) Sprengel *Geschichte*. 3. Thl. S. 125.

(1) Prosper Alpinus de medicina Aegyptiorum cap. XV.

ropaeum Turcarum imperium (2), quae regiones et hodiedum pestis incunabula sistunt.

Scriptores.

3. En potiores de peste scriptores: ANTONIUS PORTI (3), JESSEN a JESSEN (4), RIVINUS (5), WALDSCHMIDT (6), GASTALDI (7), CHICOINEAU (8), JOUBERT (9), PETRUS UMIASTOWSKI (10), SLESZKOWSKI (11), ONUPHRIUS BONFIGLI (12), MEAD (13), HOEGES (14), DIMERBROEK (15), CHENOT (16), SAMOILOWITZ (17), MER-

(2) MEAD de peste cap. I. p. 18.

(3) De peste libri tres. Romae 1589.

(4) De cavenda tollendaque peste. Pragae 1606.

(5) De peste Lipsiensi an. 1637. Lips. 1680. 8.

(6) De peste Holsatica. In Halleri Dissertationibus practicis. T. V. p. 547 -- 62.

(7) Tractatus de avertenda et profliganda peste. Bonon. 1681.

(8) *Traité de la peste. Deutsch. Stendal* 1783. 8. 1790. 8.

(9) De la peste opp. Ftcf. 1599.

(10) Nauha o morowym powietrzu. 1591.

(11) O ustrzézeniu y leczeniu morowego powietrza. 1623.

(12) De peste Dissertatio epistolaris 1711.

(13) Op. cit.

(14) *Loimologia* s. pestis nuperae ap. popul. Londinensem grassant. narr. Lond. 1672.

(15) De peste libr. VI. Arnheim 1646. 4.

(16) De peste (Transilvaniae anni 1755 usque ad finem 1757.) tractat. Vindob. 1766. 8.

(17) *Mém. sur la peste, qui en* 1771 *ravagea l'Empire de Russie, surtout Moscou, à Paris* 1783. 8.

TENS (18), ORRAEUS (19), MINDERER (20), SCHRAUD (21), HOWARD (22), DESGENETTES (23), ASSALINI (24), SAVARESI (25), BRESSY (26), PUGNET (27), MAC-GREGOR (28), LERNET (29), POUQUEVILLE (30), WITTMANN (31) etc. etc.

(18) De peste Moscoviensi an. 1771. in libro: Observat. med. de febrib. putr., de peste etc. Vienn. 1778. 84. 8.

(19) Descriptio pestis. Metropoli 1784. 4.

(20) *Beytrag zur Kenntniss und Heilung der Pest. Riga* 1790. *Geschichte der Pest in Volhynien im Jahre* 1698. *Berlin* 1806.

(21) Historia pestis Sirmiensis annorum 1795. 1796. Budae 1802.

(22) *An account of the principal Lazareth's in Europe, with various papers relative to the plague. Lond.* 1789.

(23) *Histoire médicale de l' armee de l' Orient.*

(24) *Observations sur la maladie appellée peste, le flux dysenterique, l'ophthalmie d' Egypte etc. Paris an* IX.

(25) *Histoire de l' armée de l' Orient, l' an* VII.

(26) *Théorie de la contagion.*

(27) *Mémoire sur les fièvres pestilentielles du Levant.*

(28) *Medical sketches on the expedition of the army etc. London* 1804.

(29) Ad quaestiones de peste a Societate Amicorum scientiarum Varsaviensi propositas responsoria Dissertatio. -- (Ex lectione hujus ineditae adhuc dissertationis me multum utilitatis percepisse candido, gratoque animo fateor).

(30) *Voyage en Morée etc. Paris* 1805.

(31) Travels in Turkey. 1803.

§. XXXVII.

SYMPTOMATA.

In genere.

1. Felix experientiae propriae defectus terribilis morbi hujus imaginem ab ipsa natura desumere vetat. Variam admodum illius formam, et decursum esse, ex scriptoribus apparet. In genere tamen in peste sequentia symptomata animadverti solent. Virium dejectio plerumque subitanea citra apparentem caussam: febris cum calore partes corporis internas adurente cum pulsu frequente, nunc duro, nunc exili, inaequali, et cum siti inexplebili: anxietas, jactatio, vacillatio crurum, lipothymiae: facies a statu sano recedens, atque tristis: oculi micantes, rubri, feroces, nunc prominentes, nunc retracti: lacrymatio: cephalaea, deliria, visiones (ex praeconcepta opinione magis quam ex ipso morbo): vox rauca: lingua nunc humida, nunc sicca: respiratio cita, brevis: dolores viscerum, lumborum, artuum: nausea, vomituritio, vomitus: urina spissa, alias limpida: fluxus dysentericus: peticulae, vibices, ecchymoses: haemorrhagiae, parotides, bubones, anthraces, et carbunculi. De tribus hisce ultimis

symptomatibus, utpote pesti fere gentilitiis, singulatim.

Bubo.

2. Bubo pestilentialis est tumor inflammatorius glandularum cervicalium, axillarium, inguinalium, vel aliarum lymphaticarum, profunde latens, dolens, ad suppurationem, et gangraenam pronus. Dolor partis saepe bubonis eruptionem praecedit, ipsa autem eruptio incerto tempore contingit; nunc enim spatio primi nychthemeri, nunc sub ipsa convalescentia (32), vel sine febris accessu (33).

Anthrax.

3. Anthrax pestilentialis est *macula* rubra, summum excitans dolorem, latitudinis trium, vel quatuor digitorum, scapulas, dorsum, et femora occupans, quae, nisi resolvatur, in gangraenam transit. Malum, hoc in casu, ad musculos usque serpit.

Carbunculus.

4. Carbunculus pestilentialis sistit *vesiculam* (34), dolorem edentem, sero albo, fu-

(32) Lernet.

(33) Pugnet. Lernet.

(34) Distinctionem anthracem inter et carbunculum primum statuerunt, ad mentem cl. Buday, medici Syrmienses, Doctores Dahlke et Schildknecht, testante egregio Lernet.

sco, aut nigricante plenam, in cujus peripheria nullus apparet rubor; verum die sequenti annulus ruber hanc vesiculam jam mole auctam cingit, quae ad magnitudinem nucis avellanae, saepe majorem increscit, et rupta maculam gangraenosam refert. Haec in latum quotidie extenditur, atque ad panniculum adiposum repit, donec pars mortua a viva separetur, aut aeger moriatur. Sedes communis carbunculorum est caput, collum, pectus, imo et ubera muliebria, atque abdomen. Visi sunt vel ad apices digitorum, nasique (35). Orraeus duas carbunculi species admittit (36), quorum unus ex praevia inflammatione nascitur (*carbunculus humidus*), alter ex macula nigrescente, cutem corrugante, depascente (*carbunculus siccus*).

Observationes.

5. Tum anthraces, tum carbunculi indeterminato tempore in conspectum veniunt, atque nequaquam febris rationem sequuntur. Numerus eorum varius, tres, quatuor, ad duodecim usque. Saepe apparente carbunculo, bubo evanescit: alias, crescente bubone, carbunculus ad perfectam evolutionem non pervenit (37).

(35) Palmer de morbis contagiosis. p. 425.

(36) Orraeus l. c. p. 97.

(37) Lernet.

In quibusdam epidemiis carbunculi frequenter bubonibus insident (38), in aliis rarissime (39).

Autopsia cadaverum.

6. Cupiditas scientiae excolendae apud quosdam medicos eo usque pervenit, ut periculosissimum opus sectionis cadaverum hominum a peste defunctorum suscipere ausi sint. Hoc in opere praeprimis egregius PUGNET excelluit. En illius observationes. Cadaver in universum flaccidum. Sanguis interdum ex naribus, et auribus manat. Oculi rubore suffusi. Vasa majora colli quasi arte injecta. Abdomen tympaniticum. Cerebrum adeo molle, et pultaceum, ut illius examen impossibile evadat. Vasa sanguinea meningum turgida. Pulmones normales. Cordis volumen, praecipue illud ventriculi dextri, auctum, textura albescens, mollis, veluti substantia pericardii. Ventriculi moles major: interna illius superficies a maculis gangraenosis variegata, interdum in universum sphacelosa. Ita interna superficies intestini duodeni. Cetera intestina foetidissimo tantum aëre distenta. Volumen lienis, et hepatis auctum. Cystis fellea bile profunde flava repleta. Vasa lymphatica

(38) CHENOT l. c. p. 78.
(39) LERNET.

evidentissima. Arteriae vacuae, venae cruore turgidae.

§. XXXVIII.

CAUSSAE.

Opiniones variae.

1. Pestis caussa, pro diversorum seculorum genio quaerebatur in maleficio, et fascino (40), in principiis astrologiae (41), in terrae motu (42), in insectis (43), in aëre (44), nec non in contagio specifico.

Contagium.

2. Opinioni, quae in *contagium* specificum pestis caussam collocat, cum maxima parte medicorum praesentis aevi assentimur. Verum haud ignorare oportet, contagium quatenus pestis

(40) Hieronymus Mercurialis Med. prax. p. 804.

(41) Paracelsus de peste. Lib. I. c. 5. p. 365. De peste cum additione. p. 371. Bariensis, Majestatis Poloniae Physicus, in opere *de regimine pestis* 1543; dicit: « plura hoc anno signa conspeximus, quae in hac praesertim Sarmatiae regione pestem pronuntiare videntur. Astra enim minantur, Mars scilicet ferus, et iniquus Saturnus.

(42) Ivannis Lonerae *Annales. Paris* 1686. Lib. XII.

(43) Ephem. Nat. Cur. Dec. I. an. I. obs. 19.

(44) Guinth. Andernac. de medicina veterum, et novorum comment. p. 538.

caussam, a magnis in arte viris negatum fuisse, scilicet a Cl. CHICOINEAU (45), NISSEN (46), STOLLIO (47), aliisque, utpote qui pestem potius ab epidemica quadam constitutione repetiere. Refutarunt hosmet auctores inter alios celeberrimi MEAD (48) et HOWARD (49). At re quidem vera nemo contagiosam naturam inficiabitur, qui perpendet: 1.° analogiam pestis cum variolis, scarlatina etc. quorum morborum caussa evidenter contagium est: 2.° pestem non raro in locis aliunde sanissimis, imperio morborum catasticorum vix aut ne vix quidem subditis, grassari (50): eam nullius peculiaris anni temporis, nullius atmosphaerae constitutionis, uti in morbis catasticis contingere solet, propriam dici posse: 3.° morbum de manu in manum tradi: 4.° eos, qui cum aegrotis nullum ineunt commercium, immunes manere: 5.° hanc immunitatem non solum singulos homines, sed et integras urbes, quamvis a peste undique circumdatas, tangere (51): et postremo 6.° pe-

(45) Op. cit.

(46) Op. cit.

(47) Ratio med. P. II. p. 59.

(48) In praefatione ad tractatum de peste.

(49) L. c.

(50) L. c. (§. IX. 4.) p. 145.

(51) THUANUS histor. lib. 62.

stem legibus, quarum ope communicatio contagii impeditur, secure averti, eamque, iis vel tantillum neglectis, mox caput extollere.

Observatio.

3. Ast, sicuti veritas plerumque in medio latet, ita et hic. Quamvis enim procul dubio pestis caussa excitans in contagio posita sit, hoc non impedit, quominus vis hujusmodi contagii ab annua, vel epidemiea constitutione, vel ab aliis tandem rerum positionibus nunc suffulciatur, nunc arceatur. Et hoc quidem non solum de peste, sed et de variolis, de scarlatina, de morbillis, verbo de omnibus morbis contagiosis ex classe febrium, valet. Interdum scilicet vel ex uno aegro tali morbo adfecto, neglectis paullulum debitis cautelis, morbus late diffunditur, alias, licet plures eodem pacto aegrotent, et nullomodo impediatur contagii progagatio, contagium nihilominus vix divulgatur. Porro, si praeter contagium, aliae adhuc rerum conditiones ad pestem excitandam, propagandamque haud requirerentur, ea nulla adhibita cautela nequaquam extingui posset, quod tamen testante WALDSCHMIDTIO in peste Holsatiae anno 1712 grassante accidit, quodque hodiedum in Aegypto, aliisque orientalibus regionibus contingere solet. Summa igitur cura in rerum conditionibus propagationi contagii pesti-

lentialis faventibus inveniendis, ponenda. Ecce facta historica huc pertinentia. Magna, quae inter ea occurrit contradictio, abunde docet, hujusmodi facta necdum sufficere, ut tuto ex iis lex universalis deduci queat.

Facta varia.

4. Dum pestis Moscoviae grassabatur, barometrum constanter depressum erat (52). Pestis a Cl. Paré descripta praevia tempestate cum tonitru semper invalescebat (53). Praecedebat pestem, anno 1564 Galliam depopulantem aër ita obscurus, et densus, ut solis obscuraretur lumen (54). Coelo nebuloso cum frequenti pluvia, ait Cl. Pugnet, undecim milites spatio quinque dierum Damiatae peste correpti fuerunt. E contra pestis Volhyniensis mense julio anno 1748, praegressa, et vigente temperie solito calidiore, et sicciore, prorupit (55). Pestem etiam sub temperie frigida, et sicca propagari, testantur Guinther ab Andernach, et Salius Diversus (56). Calorem tamen plerumque propagationi pestis favere, asserit Mead

(52) Orraeus op. cit. p. 45.
(53) Paré *Oeuvres* ch. 3. p. 529.
(54) Joubert l. c. cap. 4. p. 277.
(55) Lernet. Minderer. S. 7.
(56) Sprengel l. c. p. 133.

(57). Exempla contraria refert Van-Swieten (58). In peste, quae Damiatae grassata est, ventus borealis, summus calor, et frigus impetum morbi cohibuerunt (59). Sub plenilunio plures a morbo invadi, et mori refert Chenot (60). Idem asserunt medici exercitus Gallorum in Aegypto (61). Accedit observatio Cl. Lernet (62). Quod aër a cadaverum putredine, vel similiter inquinatus potestate pestem producendi polleat, historia docere videtur (63). In peste vero Massiliae, et Lugduni grassante, per loca sordida harum urbium morbus minus depascebatur (64). Dum pestis Londini, regnante Carolo secundo, viguit, jussu medicorum omnia stercorum receptacula aperta fuerunt (65). Homines inter putridas exhalationes opificia exercentes, a peste late grassante immunes vixisse,

(57) L. c. p. 45.

(58) De morbis epidemicis.

(59) *Tableau de l'Egypte.* 2 T. p. 86.

(60) L. c.

(61) *Tableau de l'Egypte.* l. c. p. 53.

(62) « Observatum est, inquit Cl. Lernet, pestem nostram in novilunio magis saevisse; contagium enim magis actuosum, et morbus lethalior fuit. »

(63) Sprengel op. cit. S. 133.

(64) Mallouin *in Mémoires de la Société des Sciences*, 1751.

(65) Leclerc op. cit. (§. I. Not. 1.) Lib. II. 4.

constat (66). De peste Aegypti certum est, eam nequaquam ex aëre corrupto originem trahere (67). Consensu vero omnium palam est, timorem, desperationem, et imaginationis vim maxime contagii suscipiendi periculum augere.

Natura contagii, et leges propagationis.

5. Naturam contagii pestilentialis explicare ausi sunt Cl. HILDEBRANDT (68), BRESSI (69), aliique (70). Caveamus a similibus hypothesibus, atque eruamus potius rerum positiones, sub quibus contagium advenit, agit, atque sese extendit. In genere contagium pestilentiale Europam attingit per commercium clandestinum vestium relictarum ab hominibus peste defunctis (71): per merces, praecipue in lana, crinibus, plumis, pellibus consistentes: per viatores ex regionibus infectis advenientes: per bella adversus barbaros: per animalia demum, nec exceptis quidem insectis (72). Quoad tempus,

(66) PALMER l. c. p. 347. MINDERER l. c. S. 47.

(67) Histoire de la Société Royale etc. de Paris pag. 303. 312.

(68) Opusculum de peste.

(69) Op. cit. p. 392.

(70) Docte de iis rationem reddidit egregius MINDERER op. cit. S. 30 -- 40. seq.

(71) Judaei tale commercium instituentes pestem plerumque in Sarmaticum Regnum intulerunt, referente cl. LERNET.

(72) PARÉ l. c. ch. 18. p. 542.

quod inter susceptum contagium, et eruptionem morbi intercedit (73), sequentes proferuntur opiniones; hanc scilicet periodum septem dierum esse statuit CHENOT. Idem tempus communis Turcarum opinio Constantinopoli praescribit. Neque aliter sentit SCHRAUD. Idem tamen observavit et curriculum quatuordecim dierum intercessisse. Cl. LERNET contagium pestilentiale aliquando illico, aliquando vero post septem hebdomadas vim suam patefecisse animadvertit (74). Pauci sunt, qui actioni illius non subjiciantur, atque nulla aetas prae alia hoc privilegio fruitur. In quibusdam epidemiis, e. c. in ultima Volhyniensi, homines perfecta sanitate gaudentes pesti magis obnoxii erant, quam infantes, senes; et valetudinarii, in aliis epidemiis, v. g. in peste Syriaca an. VII Reip. Gallicanae contrarium contigerat. Cuilibet corporis parti contagium applicetur, effectum suum prodit. Saepe in ea parte, ubi contactus contagii immediate locum habuit, carbunculi sive an-

(73) Tempus hujusmodi rite *periodus latentis contagii* ab egregio D. HAYGARTH vocatur. *A letter to* Dr. PERCIVAL *on the prevention of infections fevers by* JOHN HAYGARTH. p. 13.

(74) « Cremenecii vidi casum, ait cl. LERNET, ubi juvenis, et sanus homo, insidens reduci currui, quo alius ad nosocomium vectus est, primo die in morbum incidit, qui die sequenti vitae illius finem imposuit ».

thraces oriuntur (75). Vix probabile est, contagium sine contactu suscipi posse (76). Vestes aegrorum, atque supellectiles, non exceptis metallis, maxime (77) ad contagium propagandum idoneae. Delitescit in iis per annos (78). Ar-

(75) « Apud plures inservientes in nosocomiis, refert Ill. Lernet, nudis pedibus ambulantes, anthraces, aut carbunculi in femoribus, vel tibiis sedem fixerunt. Narrat Dahlke, se vidisse aegros, quibus prima infectionis indicia in abdominis parte aliqua prodierunt. Ibi carbunculus ortus est a variis miasmate contaminatis rebus, quas cincto ad ilia, more gentilitio, indusio, inter hoc, et abdominalia integumenta gestabant; omnibus his aegris die secunda, vel tertia febris cum tota pestilentiali symptomatum serie supervenit aeque ac illis, quos morbus sine omni sensibili topico vitio aggressus est ».

(76) Multi in aëre libero aegris proximi immunes a peste manserunt, testante ipsa medicorum sanitate. Plurima alia exempla docent, homines eandem, quam aegri, respirantes atmosphaeram, dummodo ab attactu supellectilis caverent, liberos a contagio evasisse. Ex his clarum redditur, virus pestilentiale per aërem ad magnam distantiam vehi non posse ». Lernet.

(77) Minderer S. 35.

(78) Sennert. Op. t. II. p. 688. « Dum post deletam in autumno pestem Podoliensem, a. 1797, Judaeus vestes suas ultimis diebus ejusdem anni terrae effodisset, mense martio effossae novum in oppido Szarogrod a. 1798 sparserunt contagium, teste Hakelschmitt ». Lernet. Simile et maxime mirabile exemplum narrat cl. Heynz apud Ill. Minderer l. c. S. 37.

duum est tempus determinare, quo contagium ex aegris emanans, alios potentius aggreditur. « In agone, ait FORESTUS, facile alios inficiunt peste correpti ». Idem confirmatum habet Cl. LERNET. Sed magis arduum adhuc est indicare, quando in convalescentibus potestas contagii communicandi cesset. Sunt qui contendant vel pus bubonum pestilentialium, dummodo nulla jam adsit febris, potestate virus communicandi carere (79); contrarium vero vidit Cl. LERNET (80).

Caussa proxima.

6. Eaedem hypotheses, quae de caussa proxima febrium typhodum acutarum jactatae fuere, de quibus infra (81), et pesti applicitae sunt. At incassum. Etenim nec humorum putredo, nec virium vitalium defectus intimam hujus morbi naturam explicare valent. Si enim praesentes sint, pro effectu potius, quam pro caussa haberi debent. Melius igitur erit et hic hypotheses relinquere, atque nostram, de objecto,

(79) DESGENETTES.

(80) « Vidi mulierem, quae, sanata febre, bubonem inguinalem habuit, qui, crescentibus viribus, die aliqua convalescentiae erupit, et tandem duabus famulis morbum communicavit ».

(81) §. L. 10 -- 14.

quod limites ingenii humani superat, ignorantiam candide fateri.

§. XXXIX.

DIAGNOSIS.

Illius difficultas.

1. Maxima prudentia in pestis diagnosi instituenda opus est. Expertissimos in arte viros (82) pestem non illico cognovisse, eamque pro communi febre maligna declarasse, historia docet. Cavendum similiter, ne alium morbum pro peste habeamus. Vel ob id diagnosis pestis difficilis, quod morbus hic nullum agnoscit symptoma pathognomonicum. Ipsa febris ad pestem constituendam non requiritur (83). Non raro enim homines deambulantes, munere proprio fungentes sine ullo aegritudinis latentis indicio, a morbo, apoplexiae ad instar, necantur (84). Et

(82) Mercurialis, Capivacci, Waldschmidt etc.

(83) Salius Diversus de febri pestilentiali c. 5. p. 18. Orraeus l. c. p. 71.

(84) Orraeus l. c. p. 72. Valleriola loc. commun. lib. III. c. 18. p. 773. Longinus refert, pestem in Lithuania a. 1451. et 1453 adeo grassatam esse, ut homines ambulantes, sedentes, dormientes, aut comedentes subito correpti extinguerentur. (Historia Poloniae lib. II. col. 96.)

pestis, singulis consuetis symptomatibus orbata, et solum effreni epistaxi notata observata est (85). Alias pestis praecipue cephalaea insignitur (86). In genere tamen bubones, anthraces, et carbunculi communiora, certioraque, et fere gentilitia pestis signa sistunt. Verum non semper ab initio morbi in conspectum venire solent.

Diagnosis bubonis, et anthracis pestilentialis.

2. Differt autem bubo pestilentialis ab aliis bubonibus in eo, quod non solum ad inguina, sed et ad axillas, ad cervicem occurrit (87), et quod, dum ad inguina contingit, in glandulis, quae musculo tricipiti duobus, vel tribus digitis infra commissuram femoris insident, haereat (88). Optimum diagnosticum anthracis, aut carbunculi pestilentialis, quod societatem cum bubonibus inire soleat. Cavere autem oportet, ne confundamus carbunculum, vel anthracem pestilentialem cum eo, qui ex esu carnis animalium morbo contagioso defunctorum oritur (89), vel cum alio, qui inter Hungariae

(85) Schenk lib. VI. p. 795.
(86) Palmer l. c. p. 316. 416.
(87) Orraeus l. c. p. 7.
(88) Lernet.
(89) Cap. V. §. LIX. 5.

et Siberiae incolas grassatur (90), maxime quidem, citissimeque lethalis, at contagio carens.

Diagnosis vel ex caussae indagatione instituitur.

3. Ast non ex solis symptomatibus desumitur diagnosis pestis. Praecipue perpendi debet, an occasio praegressa sit, quae suspicionem advecti contagii confirmet, nec ne? Nullum enim habetur exemplum, pestem primum inter cultos Europae incolas evolutam esse. Ita pestes, quotquot erant in Sarmatia, semper alienam agnoscebant indolem (91). Pestis saepe in hoc ab aliis febribus epidemicis distinguitur, quod ea in primo limine saeviat, hae vero sensim sensimque tantum vehementia crescant.

Indoles morbi.

4. Quaeritur, utrum pestis sit unus idemque, sibique semper similis morbus, an potius nomine illius varii, diversique morbi veniant? Et quidem priori opinioni favent uno ore medici Poloniae, nec non Cl. Howard. Sane pestis non ob id pro morbo haud specifico habenda, quod

(90) Part. I. Vol. II. cap. de anthrace.

(91) Lernet Postquam enim cl. Vir de omnibus pestibus Poloniae doctissime rationem reddiderat: « videmus itaque, inquit, miasma, quod tanti detrimenti populationis in Polonia caussa fuit, non patriam sobolem, sed malum ab exteris allatum fuisse nationibus ».

variolarum, scarlatinae, aliorumque morborum ad instar, pro varia anni, et aegrorum constitutione, variam quoque induat indolem; considerando enim praecipuas pestis descriptiones, clare apparet, hunc morbum complicationem nunc inflammatoriam (92), nunc verminosam (93) exhibuisse. Diagnostica quidem hic signa desiderantur, at, data plerumque tam ampla observationum instituendarum occasione, haud difficile erit indolem morbi potissimum ex juvantibus, et laedentibus eruere.

§. XL.

PROGNOSIS.

In genere.

1. Quaenam autem sit pestis prognosis, ex ipsa illius descriptione elucet. Vix tamen strages ab hoc flagello editae mente concipi queunt (94);

(92) Expertissimus practicus cl. Dr. Salina medicinam Aleppi exercens me litteris certiorem reddidit, pestem Syriacam interdum adeo inflammatoriam esse, ut omnes moriantur, quibus largae non instituuntur venae sectiones.

(93) Schenk l. c. p. 790.

(94) Nullibi pestis tot strages edidisse videtur, quam in Polonia, et vicinis regionibus, quod ex doctissima egregii Lerneti dissertatione ultro apparet. « Dum lego, inquit,

exceptis enim regulis, quas medicina ad pestem antevertendam suppeditat, ea haud multum in cura praesentis jam morbi juvare potest. Felix ille ex medicis, sub cujus regimine tertia tantum, vel dimidia a peste decumbentium aegrorum pars morte fungitur (95). At

A. 1003 sepelientium taedio moribundos simul cum mortuis sepultos fuisse (LONGINUS l. c. T. I. lib. II. col. 140), et A. 1006 plures villas, et oppida ob saevam epidemiam deserta mansisse (ibidem lib. VI. col. 626), non vulgarem certe mortalitatem morbo tribuere inducor. LONGINUS ad annum 1186 sequentia refert. Facta est eo anno in sole eclipsis notabilis, quam magna hominum pestis, atque mortalitas subsequuta, quae in Polonorum, Ruthenorumque regiones saeviebat. Ab annis 1221 ad 1224 saeva pestis dominabatur adeo, ut plures villae, et oppida habitatoribus consumptis vacua, desertaque remanerent. Equites Teutonici 18,000 nobilium incolarum, non numerando plebem, tempore quinque mensium grassantis epidemiae annis 1308, et 1309 perdiderunt (RACZYNSKI auctuarium Hist. Nat. Pol. p. 467 -- 468). A. 1349, 1350, Thorunum 4000, Elbinga 7000, Gedanum 13,000 incolarum perdidit (ibidem p. 468). Crudelis epidemia, quae an. 1601 Varmiam, Borussiam, et Livoniae terras devastavit, Rigae 30,000, in tota provincia 100,000 hominum trucidavit. (ROSTOWSKI theat. Soc. Jesu. Prov. Lithuan. p. 213). Annis 1709 et 1710, tempore mensium septem, 80,000 civium Vilnae vitam cum morte commutarunt. (NARAMKOWSKI. Facies rerum Sarmaticarum p. 165) ». Praesens numerus incolarum Vilnae circiter 40,000.

(95) MAC-GREGOR, DESGENETTES. In ultima peste Volhyniensi

non semper aequo modo hujus morbi occurrit mortalitas (96). Plus minus periculi, quo pestis stipatur, saepe a loco, unde ea proficiscitur, pendet (97). Aethiopes felicius pestem tolerare Europaeis, narrat Cl. CHISLOM (98). Alii contrarium asserunt (99).

Semiotica.

2. De signis sive bonis, sive malis in peste nil generatim dici potest; signa enim, quae in una epidemia bona praesagiunt, alia adventante, interdum pessimi sunt ominis. Peticulae tamen plerumque pessimi augurii (100). Ita pa-

quartus tantum aeger evadebat, testante egregio MINDERERO. Op. cit. S. 27.

(96) « Vidimus aegros, inquit cl. LERNET, quibus sine omni, aut sub levissima a sanitate alienatione, prodierunt bubones facillime sanandi. Haec pestis est, quam cum aliis scriptoribus *benignam* appello ».

(97) Pestis, quae Smyrnam Byzantio advehitur, minus perniciosa esse solet ea, quae ex Aegypto originem trahit.

(98) *On the malignant pestilential fever which raged ad Granada* 1793.

(99) *Tableau de l'Egypte.*

(100) In peste Volhyniae, 1797, 1798 grassante nullus cum peticulis evasit, observante cl. LERNET. Non tam lethales fuerunt peticulae in aliis pestibus. In peste Syrmiensi ex 841 sanatis, quinque laborabant peticulis, teste SCHRAUD l. c. T. II. p. 98.

rotides (1). Bubones longe minus antracibus, et carbunculis timentur. Imo in peste, quam CHENOT observavit, nemo sanitati est restitutus, qui bubones antea expertus non esset. In ultima vero peste Volhyniensi pessimi ominis fuerunt bubones non inflammati, et illi, quorum dolor repente cessaverat (2). Non desunt porro et exempla carbunculorum criticorum (3). In genere carbunculi ab initio morbi magis, quam versus finem periculosi sunt (4).

Observationes.

3. Ad curriculum morbi quod attinet, jam monuimus, aegros interdum illico necari. Alias morbus ad quinque, sex, septem dies, rarissime ultra extendi solet. Pestem pluries eundem hominem invadere posse, extra dubitationis aleam positum est (5). Raro quidem hoc una, eademque in epidemia contingit; at dan-

(1) Parotides in peste Volhyniensi fere semper futurum interitum indicabant; ex centum enim aegrotis parotidibus affectis, quinque solum salvabantur, narrante cl. LERNET.

(2) LERNET.

(3) Vidi, inquit cl. LERNET, Cremanccii puerum cum carbunculo frontis, qui ac si criticus fuisset, aegrum sanitati restituit ».

(4) Ita in ultima peste Volhyniensi. Idem testantur medici exercitus Gallorum in Aegypto.

(5) ORRAEUS l. c. p. 60. 61. CHENOT etc.

tur hujus rei exempla (6). Qui pestem pluries passi sunt, deinde lenius affligi solent (7).

DE FEBRE SUDATORIA BRITANNICA.

§. XLI.

HISTORIA. SYMPTOMATA.

Historia.

1. Seculo decimo quinto ad finem vergente, Britannia, magnaque Europae pars a febre acutissima quidem, sed sane haud semper ephemera (8), summeque exitiali, invadebatur, cujus praecipuum symptoma *sudor* erat. Variis sub nominibus morbus hic occurrit (9). Exacta illius historia invenitur apud doctissimum SPRENGEL (10). Auctorum opera, qui de hac febre scripsere, infinitae eruditionis vir, GRUNER, propediem collecturus (11).

(6) Apud MAC-GREGOR.

(7) Vid. descriptionem pestis Jassiensis. p. 60.

(8) RUDOLPH VOGEL de cognoscendis, et curandis c. h. affectibus §. 91.

(9) *The swealing sickness* Anglis; *suette* Gallis: *ephemera sudatoria* Sauvagesii; *sudor anglicus* Sennerti (Op. Lib. IV. c. 15); *hydronosus* Foresti (Lib. VI. obs. 8); *ephemera Britannica* Cajusii (de ephemera Britannica).

(10) Op. cit. Th. 2. S. 552.

(11) Scriptorum de sudore anglico superstitum, editio hactenus desiderata, et adornata. Jen. 1804.

Symptomata.

2. Primo statim die aegroti, post horrorem ad minimum dimidiae horae, calorem, et quasi auram per membra decurrere sentiebant; mox vero immoderato, atque continuo fere sudore foetidissimo diffluebant cum insigni virium lapsu, palpitatione cordis violenta (quae etiam post morbum, apud aliquos per annum quidem, apud alios totam per vitam, remanebat (12)), cum inquietudine, anxietate, siti, capitis dolore, vertigine, comate, convulsionibus, animi deliquio, aestu partium internarum, pulsu frequenti, inaequali. Tam vehemens, et acuta erat haec febris, ut jam prima die interficeret: ast hoc in summa tantum malignitate; alias enim tertia, aut quinta, plerumque vero septima die necabat, et qui hunc terminum superabant, extra periculum erant constituti.

§. XLII.

CAUSSAE. PROGNOSIS.

Caussae.

1. Caussa febris sudatoriae Britannicae contagium videtur. Verisimile est, contagium hu-

(12) Nicolai's Pathologie 2 B. S. 146.

jusmodi ope sudorum e corpore eliminatum fuisse. Saltem a sola sudoris incauta suppressione, vel illius praematura cessatione, morbus fiebat lethalis (13).

Prognosis.

2. Priusquam vera medendi methodus cognita esset, milleni obierunt; quo tempore enim febris sudatoria Londinum invasit, singulis diebus quingenti, vel sexcenti cives eadem aggrediebantur, e quibus vix centesima pars salva evasit. Observante ERASMO, iidem homines saepe ter, quaterve hunc in morbum incidebant, donec tandem hydropici fierent (14).

DE FEBRE FLAVA AMERICANORUM.

§. XLIII.

DE ARGUMENTO GENERATIM.

Historia.

1. Annis 1732, et 1748 febris acutissima, maximeque lethalis, originem, uti videtur,

(13) CAJUS l. c. p. 128.
(14) Lib. 26. Epist. 57.

ex India Occidentali trahens (15), in America septentrionali, praecipue Philadelphiae, caput extulit, peculiari *corporis flavedine* plerumque insignita; quamobrem morbus hujusmodi nomen *febris flavae*, sive *typhi icterodis* obtinuit. Tandem hoc seculo pestis hujusmodi ad Hispaniam, et Etruriam profecta est, Cadicem, Malacham, et Portum Labronis devastans.

Scriptores.

2. Inter innumeros de febre flava scriptores excellere videntur W. HILLARY (16), J. HUNTER (17), POUPPÉ DESPORTES (18), MOSELLEY (19), RUSH (20), CLARK (21), CAREY (22),

(15) LINING. Vid. Edinb. Physical. Essays. HAYGARTH l. c. (§ XXXVIII. 5. Not. 75.) p. 144.

(16) Op. cit. (§. IX. 4.)

(17) *Observations on the diseases of the Army in Jamaica etc. Lond.* 1788.

(18) Op. cit. (§. IX. 4.)

(19) Op. cit. (IX. §. 4.)

(20) *Account on the bilious remitting Yellow-fever as it appeared in the city of Philadelphia in the year* 1793. *Philadelphia* 1794.

(21) *History of the Yellow-Fever in the Island of Domin.* 1793. 94. 95. 96. 97.

(22) *A short account of the malignant fever lately prevalent in Philadelphia etc.* 1794.

Chislom (23), Bayley (24), Halle (25), Deveze (26), Arejula (27), Palloni (28), Eymann (29), Valentin (30), aliique.

§. XLIV.

SYMPTOMATA. CAUSSAE.

Symptomata.

1. Morbus, de quo agitur, quemque nunquam observavimus, non semper aequali vi incedit, nec semper iisdem prorsus symptomatibus stipatur. Omnibus tamen simul sumtis, du-

(23) Op. cit. (§. XL. 1. Not. 100.)

(24) *An Account on the epidemical fever which prevailed in city of New-York, during part of the summer and cold of* 1795. *New-York* 1796.

(25) *Histoire de la fièvre jaune qui a regné à Cadix.*

(26) *Dissertation sur la fièvre jaune qui a regné à Philadelphie en* 1793.

(27) *Breve descripcion de la fiebre amarilla padecida en Cadiz y pueblos Comarianos en* 1800 *etc. Madrid* 1806.

(28) C. Alexis Lacoste *u.* Gaet. Palloni *über das Fieber zu Livorno.* Leipz. 1805. 8. Seorsim prodiit Pallonii libellus sub titulo: *Med. Beobacht. über die in Livorno herrschende Fieberkrankheit. A. d. Ital. m. Zusatz. v.* I. I. Romer *u.* Balth. Swingli. *Zürich* 1805. 8.

(29) Vid. Hufeland's *Journal der pr. A.* 15 B. 1 St.

(30) *Traité de la fièvre jaune d' Amérique. à Par. an* XI. 8.

rante ejusdem curriculo, quod a duobus ad septem usque dies extenditur, sequentia in conspectum venire solent. Febris plerumque extemplo cum frigore, dolore capitis, lumborum, crurum, et genuum, nec non virium prostratione incipit. Sequitur calor urens, cum sudore partiali frontis, colli. Accedunt vertigo, delirium tacitum, somnolentia, stupiditas. Oculi rubore suffusi, scintillantes. Pulsus frequentes, raro tamen ultra centum in minuto primo micantes, pleni quidem, at facile digitorum pressioni cedentes. Jactatio continua, anxietas, nausea, et vomitus, cum dolore ventriculi, et strictionis sensu ad dextrum hypochondrium extenso. Regio affecta vel levissimum attactum respuit. Materies vomitu rejecta mucum tenuem, tenacem, viridescentem exhibet. Urina nunc aquosa, nunc obscure rubra. Alvus clausa, nec clysteribus respondens. Sitis intensa, aquae frigidae desiderium. Lingua humida muco albescente, flavo obducta, interdum vero pura, obscure rubra, calida. Respiratio ab initio morbi libera, dein suspiriis interrupta. Crescente sic aegritudine, calor cutis, rubor, et splendor oculorum imminuitur, augetur vero calor internus, atque aeger de intolerabili ardore regionis epigastricae, nec non hypochondrii dextri conqueritur. Vomitus magis magis-

que urget materiam flavam, viridescentem, nigram, sanguine mixtam offerens. Universa cutis, praecipue faciei, et colli plus minus colore flavo, interdum croceo, tingitur, ac nonnunquam a peticulis obsidetur. Cruor ex gingivis, e naribus, et e vasis haemorrhoidalibus manat. Vires continuo descrescunt. Lipothymiae insolescunt. Respiratio fit laboriosa. Huc perducto morbo praeter soporem subsultus tendinum, convulsiones, et singultus se produnt. Urina flava, et non raro difficulter excernitur. Aegri oculis semiclausis, dorso, divaricatis cruribus decumbunt. Facies dolorem, prasertim sub tactu abdominis, exprimit; tamen interrogati aegri, se bene valere affirmant. Vicina mors a pulsu debili, extremitatum frigore, stertore, odore cadaveroso, saepiusque a conspicuo symptomatum levamine annuntiatur. Per totum hujus morbi curriculum febris plerumque vix remittit; alias tamen observantur remissiones conspicuae.

Autopsia cadaveris.

2. Hepatis color saepe coeruleus. Ceterum ejus substantia sana. Cystis fellea bile tenaci, picea turgescens. Intestina hinc inde gangraena correpta. Pulmones interdum inflammati, atque cum pleura concreti.

Caussa.

3. Contagiosa febris flavae natura a plurimis negatur (31). Ipse Americanae Reipublicae Praeses huic opinioni assentitur contendens, febrem flavam solummodo urbibus, quarum flumina fluxum, et refluxum experiuntur, propriam esse (32). Non defuerunt qui hujus morbi originem ex putridis vegetabilibus, inprimis ex corruptis fabis coffeae repeterent (33). Modus, quo febris flava ex India occidentali ad Americam septentrionalem, dein ad Hispaniam, tandem ad Italiam delata fuit, ac praestantia legum hic praeprimis contra propagationem morbi, veluti si de contagio ageretur, latarum, de contagiosa ipsius morbi natura ultro testari videntur, neque de ea dubitat summus hac in re judex, Cl. HAYGARTH (34). Verum non inficiamur et hujus contagii vim a variis rerum conditionibus nunc suffulciri, nunc deleri. Esus carnium, abusus liquorum fermentatorum, gra-

(31) DEVEZE. EYMANN.

(32) Excell. JEFFERSON. Vid. *Hamburger Correspondent.* 1806. No. 6.

(33) CALDWELL *Proofs of the origin of the Yellow fever in Philadelphia.*

(34) L. c. p. 146.

ves labores sub ardentibus radiis solaribus peracti, ad morbum disponunt (35).

§. XLV.

DIAGNOSIS. PROGNOSIS.

Diagnosis.

1. Febrem quidem flavam pro febre typhode declaramus: at certe non semper pro simplici; saepe saepius enim morbus complicationem inflammatoriam, nec non gastricam agnoscit, praesertim ab initio. Aegrorum constitutio, atque symptomatum inflammatoriorum, aut gastricorum praesentia hic complicationem indicant. Quamvis *flava* dicatur haec febris, sciendum, flavedinem cutis haud semper, ac vix unquam ab initio morbi observari. Nec reticendum similem flavedinem in aliis febribus typhodibus, quae nequaquam cum febre flava confundi debent, ut vidimus, aliquando occurrere.

Prognosis.

2. Febris flava interdum ipsa peste funestior. Vix unquam ea crisi perfecta terminatur. Quo floridior, atque robustior corporis habitus: quo major sopor, atque delirium: quo citius flavedo cutis ingruit, eo majus periculum. Symptomatum remissio gradatim contingens, praesertim

(35) Eymann l. c. p. 113.

imminutio vomitus, atque pulsus vi crescens, bonum plerumque eventum praesagiunt. Eo gravius in America alienigenae affligebantur, quo minus climati adsueti erant. In Europa Aetiopes, et Hispanos, qui similem morbum in America jam perpessi erant, liberos evadere, ferunt (36).

DE HEMITRITAEO DACIAE.

§. XLVI.

NOTIO. SYMPTOMATA.

Notio.

1. In Vallachia, Moldavia, Bessarabia, nec non in Hungaria inferiori, verbo in Dacia, quovis anno, aestivo tempore, febris peculiaris typum hemitritaeum sequens, magis forsan ad febres acutas, quam ad acutissimas pertinens, nunc sporadice, nunc epidemice grassatur, quae non solum exercitibus, sed et civibus maxime infensa est. Optima, atque recentissima hujus morbi descriptio praeclaro viro Minderero debetur (37).

(36) *Lettre de Madrid, publiée dans le Moniteur.* Vid. *Journal de Francfort* 1804. No. 347.

(37) *Ueber den Hemitritaeus in den südlichen Provinzen des*

Symptomata.

2. Morbus extemplo, nullisque praegressis prodromis, plerumque horis pomeridianis a frigore, haud tamen constanti, incipit. Mox sequitur calor intensus viscera adurens. Aeger debilitatem artuum, dolorem lumborum, ardorem in regione epigastrica, anxietatem, nauseam, vomituritionem accusat. Accedit vomitus biliosus sine levamine, ac sub continua jactatione. Ita pungentes dolores hypochondriorum, et pectoris cum sensu constrictionis totius abdominis. Alvus aut stricta, aut laxata nimis. Faeces biliosae, foetidae. Urina parca, obscure rubra potus coffeae ad instar, interdum atra. Superficies corporis ab initio sicca, aspera, dein humida. Vigente vomitu sudor copiosus sine levamine prorumpit. Apud plures species urticariae alternatim in cute apparet, et evanescit. Sub nixu ad vomitum, vomituque ipso, non raro epistaxis, absque symptomatum imminutione, in conspectum venit. Urgent inquietudo, insomnia, cephalaea, delirium, siccitas oris, sitis inexplebilis, angustia respira-

russischen Reiches, beobachet und aus eigener Erfahrung beschrieben von Dr. Ivan Mart. Minderer, *Staatsrath etc.* in Hufeland's *Journal der pr. Heilkunde* 1809. 2ts St. S. 1. Etiam Berolini 1809.

tionis. Facies collabitur, atque a forma consueta valde recedit. Oculi in orbita profunde jacent, eorum ictus ferox. Vasa albugineae turgent, ipsa vero albuginea non flavet. Pulsus inconstans. Lingua pura, tardius tantum alba, flava, nigra. Circa mediam noctem angustiae, vomitus, et calor remittunt, pulsus vero febrilis manet. Secunda morbi die mane morbus de novo exacerbatur, iisdem symptomatibus, sed majori vi urgentibus. Sitis praecipue intolerabilis, et potus ingurgitatus vomitu redditur. Versus meridiem nova remissio, citra eam pulsuum. Tertia die aeger expergefit sublevatus, et stadium remissionis ad pomeridianas horas protrahitur. Exacerbatio hic ingruens minoris momenti esse solet. Ita exacerbationes longiores, sed mitiores cum exacerbationibus brevioribus, sed fortioribus alternatim eodem ordine, eademque vi contingunt ad septimam usque diem. Hoc tempore symptomata ad acmen perveniunt. Si tunc vomitus creber spontaneus oriatur, si faeces foetidae, biliosae copiose secedant, si urina multa rubra, -- crisis. Alias remissiones evanescunt, febrisque fit quasi continens cum delirio, sopore, cutis colore flavo, singultu, tremoribus, subsultibus tendinum, alvo clausa, abdomine tumido. Mors sequitur die decima quarta, vel si tardissime, die vi-

gesima. Non raro vero morbus in febrem intermittentem transit, sed rebellem, aegrum ad ossa usque emaciantem, interdum tetano, vel parotidibus stipatam.

Autopsia cadaveris.

3. Viscera singula abdominis colore lurido viridi notata. Ventriculus, et intestina a flatibus distenta. Arteriae coronariae ventriculi, et vasa sanguinea intestinorum praeter modum dilatata. Tubus intestinalis liquidum obscuro-viridescens odoris specifici continet. Vestigia inflammationis nullibi. Volumen hepatis auctum, et color illius obscurior solito. Tumet cystis fellea bile tenaci, obscuro-viridescente. Et lienis interdum volumen auctum. Pulmones sanguine referti, coloris ex viride nigrescentis. Vasa cerebri, et meningum valde dilatata, et sanguine turgida. In cavitate cerebri fluidum viridescens. Cadavera cito putrefiunt, et epidermis decedit ab attactu.

§. XLVII.

CAUSSAE. DIAGNOSIS. PROGNOSIS.

Caussae.

1. De contagio hac in febre nulla suspicio. Aër paludosus, noctes frigidae, dies praeter modum calidos excipientes, somnus in aëre aperto, super solum humidum, defectus aquae

potabilis, esus nimius fructuum, praecipue melonum, aliique errores in diaeta, animi pathemata, et defatigatio ad caussas hujus morbi pertinere videntur.

Diagnosis.

2. Hemitritaeus Daciae morbus sui generis esse videtur, ac inter febres continentes, et intermittentes medium tenens. Nullam similitudinem inter eum, atque *febrem* sic dictam *Hungaricam*, saltem quatenus ea a Cl. JORDAN (38) et TOB. COBER (39) describitur, detegimus. Haec enim, rite animadvertente egregio SPRENGEL (40), nil aliud, nisi consueta febris sic dicta *castrensis* fuisse videtur. Ni fallor, quaedam similitudo hemitritaeum Daciae inter, et febrem flavam Americanorum observatur.

Distinguitur hemitritaeus ab aliis morbis.

3. Confundi posset hemitritaeus Daciae 1.° cum febre gastrica, 2.° cum cholera, et 3.° cum febre intermittente, praesertim subcontinua. 1.° A febre gastrica distinguitur, quod illico sine prodromis adoritur: quod nec lingua spurca, nec gustus depravatus occurrant: quod

(38) Pestis phaenomena. Lib. I. c. 19. p. 220 Francof. 1576.

(39) Observationes medicae castrenses. Dec. I. Obs. 7. p. 38 Helmst. 1685.

(40) Op. cit. 3. Th. S. 110.

oculi, et cutis morbo tantum provectiori flavescant: quod periculum longe majus sit, quodque emetica noceant. 2.° A cholera, quod febris adsit et quidem remissionibus, et exacerbationibus stipata: quod desit spasmus crurum: quod opium non juvet. 3.° A febre intermittente, quod exacerbationes sine praevio plerumque frigore invadant: quod remissio vix ulla in pulsu observetur: quod sudor nullum fere levamen afferat, quodque cinchona laedat. Atque ita expertissimus MINDERER.

Prognosis.

4. Vix unquam morbus, de quo agitur, sine periculo est. Gravius laeduntur valetudinarii, et qui climati necdum adsueti sunt. Mali ominis dum febris adspectum continentis induit. Attamen si ad nonam, vel decimam quartam diem pervenerit, quin symptomata nervosa multum urgeant, spes sanitatis est. Alias aegri die decima quarta, vel vigesima moriuntur. Periculosus est transitus in dysenteriam, nec ille in febrem intermittentem, licet melior, periculi expers, praecipue comparentibus symptomatibus nervosis, vel sequentibus viscerum obstructionibus, hydrope etc.

DE FEBRE TYPHODE ACUTA.

§. XLVIII.

DE ARGUMENTO GENERATIM.

Notio.

1. Inter omnes febres typhodes communissima est quae *acuta* dicitur, quamque brevitatis caussa *typhum* nuncupamus. Variis olim nominibus haec febris insignita fuit (41).

Scriptores.

2. Egregie de typho scripsere Petrus a Castro (42), Grant (43), Lind (44), Selle (45),

(41) *Synonyma.* Synochus putris. Febris putrida. F. maligna. F. nervosa. F. carceralis, navalis, nosocomialis. F. asthenica. F. ataxica etc.

(42) De febre maligna puncticulari. Bergam. 1726.

(43) *An account on the pestilential fever of Sydenham, commonly called the Gaol-Hospital-Ship-aud Camp. fever.*

(44) *Two papers on fevers and infection.* Vid. Op. cit. (§. IX. 5) Etiam *Samml. auserl. Ahhandl. für prakt. Aerzte* II. B. 3 St.

(45) *Neve Beobachtungen über die ansteckenden, faulischten, wie auch die epidemischen Catarrhalifieber.*

Herz (46), Cera (47), Hufeland (48), Hecker (49), Harles (50), Mianowski (51), ne de scriptoribus supra allatis (52) sermonem instituam.

Ordo rerum.

3. Ut multifaria, atque intricata typhi symptomata debito ordine exponere possimus, primum generalem decursus morbi imaginem, dein vero in specie phaenomena, quae ex peculiari affectione tum nervorum, tum vasorum sanguiferorum, tum cutis, tum pectoris, tum abdominis etc. originem trahunt, exhibebimus.

(46) Observationes quaedam de febribus nervosis. Vid. Frank delectus Opusculor. Vol XI.

(47) De febri nosocomiali. Mediolani. 1792, 3 editio.

(48) *Observations sur les fièvres nerveuses. Trad. de l'Allemand et augm. de not. p.* I. V. F. Vaidy *(de la Fleche) à Berl.* 807. 8.

(49) *Ueber die Nervenfieber, welche in Berlin im J.* 1807. *herrschten. Berl.* 807. 8.

(50) *Neue Untersuchungen über die Fieber überhaupt, und uber die Typhus-Fieber insbesondere. Leipz.* 1803. 8.

(51) Dissert. inaug. therapiam febris nervosae exhibens. Vilnae 1807. 8.

(52) §. XVII. 3.

§. XLIX.

SYMPTOMATA.

Curriculum morbi.

1. Typhus nunc praegressis generalibus symptomatibus febrium (53), nunc derepente, levi plerumque horrore, virium jactura, capitis, lumborumque dolore invadit. Accedunt saepe symptomata coryzae, sive catarrhi. Calor sequitur, vel et solus scenam aperit, saepe valde molestus, urens, mordax, ingratam sensationem in digitis medici pulsum explorantis excitans. Interdum vero temperatura corporis normalis, vel normali inferior. Sitis utplurimum intensa cum oris siccitate, atque gustu depravato. Pulsus frequens, subinde plenus, durus, alias sano lentior, debilis, fere semper inconstans, variabilis. Versus solis occasum cuncta exasperantur symptomata. Saepe inconsueta occurrit loquacitas, vel aeger somnolentus fit. Somnus autem inquietus, insomniis turbatus. Altero mane remissio occurrit; at aeger majorem persentit virium jacturam, conqueriturque non raro de aurium susurro. Sub vespere inquietudo augetur, ac febris intenditur. Aegri saepe lectum

(53) §. XVIII. 2.

deserere, atque vestes induere obstinate expetunt. Sequenti mane remissio quidem observatur; at oculi magis magisque rubent, lingua siccescit, conspurcatur. Urina omnino varia, cruda scilicet, flammea, jumentosa, furfuracea. Alvus plerumque tarda, interdum frequens, serosa. Quarta die status morbi augetur, atque peticulae saepe ad brachia, potissimum ad pectus, rarissime ad faciem, in conspectum veniunt (54). Tremunt subinde manus, atque tendinum subsultus unus, alterve sese prodit. Nox maxime inquieta, delirio saepe stipata, sub quo aegri fugam tentant. Desiderium potus sumendi jam non amplius percipitur. Lingua serius fit arida, tremula, atque jussu medici exserta, ab aegro, vix aut ne vix quidem conscio, difficulter retrahitur. Cutis sicca, vel partialibus sudoribus cooperta. Ita symptomata, praesertim virium jactura, sopor, et delirium, concessis plus minus remissionibus sibi alternis diebus saepe respondentibus, invalescunt, novaeque turbae iis sociae fiunt, ad septimum scilicet, decimum, duodecimum, decimum quartum diem, et ultro, donec morbus acmen attingat. Huc perducta graviori febre, en aegri imaginem. Facies lurida, quasi arena conspurcata, saepe

(54) De peticulis speciatim in Partis I. Vol. II.

accensa, forte ob barbam dudum non ablatam, magis adhuc terrifica. Oculi rubore, ophthalmitidis ad instar, suffusi. Nares obstructae, os hians, simulque cum dentibus muco tenaci nigrescente squamarum sub forma obductum. Crines flaccidi. Aeger in dorsum divaricatis cruribus, devoluto ad pedes corpore, gravitate quasi plumbea decumbit, ac si profundo sopore sepultus jaceret. Circa proprim statum iterum iterumque interrogatus, se bene valere affirmat. Continua observatur manuum captandis in aëre objectis absentibus, vel stragulis in unum coacervandis agitatio. Faeces, et urina inscie deponuntur. Abdomen tumet. Appropinquante mortis articulo facies hippocratica fit, extremitates frigescunt, respiratio evadit anhelosa, stertorosa, cum pinnis narium: pulsus frequens admodum, antea debilis, diffluens, vermicularis, pro tempore assurgit, animi praesentia interdum recuperatur; at prorumpente sudore frigido, viscidoque, aeger paulo post fatum subit supremum. Feliciori in casu sopor, sive delirium in somnum placidiorem commutatur, sudor universalis, vaporosus, calidus prorumpit: pulsuum frequentia remittit, crescit autem eorum vis et constantia: urina sedimentum exhibet puriforme, vel lateritium: alvus faeculenta, maxime foetida cum virium recrea-

tione deponitur: lingua ad latera, et ad apicem purificatur: mucus sub globulorum forma secedit, atque ita morbus ad convalescentiam declinat. Priusquam autem ad illius phaenomena delineanda perveniamus, juvabit symptomata morbi adhuc in specie perpendere.

Nervorum turbae.

2. Delirium circa quartam morbi diem occurrere monuimus; atque ita in genere, non raro autem tardius manifestatur, rarissime vero primis morbi diebus, nisi in hominibus systemate nervoso valde excitabili praeditis, aut, ubi inter morbi caussas animi pathemata primum locum occupant. Nonnunquam, apparente delirio, subsultus tendinum cessant, alias versus acmen morbi interdum invalescunt, ut, tremoribus juncti, pulsum tangere omnino impediant. Delirium nunc placidum, nunc cantu, risu insignitum, nunc ferox. Soporis varii gradus. Saepe coma vigil. Interdum aegri, licet profundo sopore sepulti, ac alta voce non excitandi, attamen a muscis circumvolantibus, vel obiter eos tangentibus, vellicantur. Convulsiones, et lipothymiae haud saepe in typho apparent, neque affectiones tetanicae huic morbo nostris saltem in regionibus facile superveniunt. E contra commune typhi symptoma surditas est; ra-

rissime vero occurrit auditus acutus. Eo frequentius sensus hic pervertitur, testantibus aurium susurru, et tinnitu. Oculi citra lucis intolerantiam pupillam praeter modum nunc contractam, nunc dilatatam offerunt. Interdum lippitudo. Raro odorum non praesentium perceptio. Varia porro occurrunt gustus vitia, eousque saltem, quousque aeger sibi compos est. Conqueritur nempe de oris conditione depravata, de sapore amaro, salso etc. Hydrophobiam in typho non vidimus, viderunt alii (55).

Vasorum sanguiferorum turbae.

3. Arteriae, praesertim carotides, et temporales ab initio febris saepe magno impetu micant. Aegri, praesertim juniores, floridi, nec non gravidae saepe saepius epistaxin experiri solent. Menstruorum fluxus nonnunquam in metrorrhagiam commutatur. Rarissime haematuria, vel haematemesis. Frequentius gingivae sanguinem fundunt. Interdum enormis haemorrhagia intestinorum, a vitio haemorrhoidali probe distinguenda. Sudor cruentus nobis hic nunquam obvenit, obvenit aliis (56). Quoad sanguinis ipsius indolem, haec maxime diversa. Plerum-

(55) *Tribolet de la Lance* de hydrophobia sine morsu praevio. In opusculis Baldingeri Vol. I. p. 236.

(56) Cl. Dr. Nord in Nosocomio civico Vindobonensi.

que ea nil peculiare offert. Saepe cruor floridus ad coagulum pronus observatur. Alias contrarium contingit. Sanguinem tenuem viridescentem interdum in typho conspeximus, nunquam vero, uti referunt (57) alii, foetentem, atque putredinis indicia exhibentem. Cruor e naribus manans nonnullis e nostris aegris frigidus videbatur.

Cutis conditiones.

4. Praeter *peticulas*, *miliaria* (58) saepe in typho prorumpunt. Similiter, raro licet, *urticariae* species, vel bullae, sive furunculi, *pemphigo* similes (59). Universa cutis hinc inde flavescit. Saepe ea ab ecchymomatibus, ad quae et *vibices* revocamus, defoedatur. Aliquando erysipelas ad caput, vel ad alias partes occurrit (60). Saepissime vero, praevio rubore livi-

(57) Morton Op. omn. T. II. p. 16.

(58) De miliaribus in Volumine secundo hujus Partis, aeque ac de ceteris exanthematibus.

(59) Cavendum, ne confundantur cum hisce bullis vesiculae, quas aliquoties conspeximus, dum aegri loca, quibus vesicatoria affixa erant, digitis scalpebant, atque eos, cantharidibus conspurcatos, aliis corporis partibus inconscii admovebant.

(60) Percival *Essays medical, philosophical, and experimental. Edinburg.* p. 194. Vid. et *Samml. auserl. Abhandl. für prakt. Aerzte.* XV. B. 2. St. S. 335.

do, maculae nigrae, gangraenae initium sistentes, ad nates, ad os sacrum, verbo ad loca, super quae aeger continuo decumbit, oriuntur, nomine *decubitus* insignitae. Sed praeter hoc interdum *gangraena*, praevio plerumque magno dolore (61), variis in locis sese sponte prodit: vidimus eam ad cubitos, ad aurem externam, ad apicem nasi, et semel ad ipsos musculos gastrocnemios (62). Inter rarissima, atque a nobis nunquam observata phaenomena typhi pertinet *phthiriasis* a gravissimis auctoribus confirmata (63).

Oris conditio.

5. De *oris conditione* in typho jam plurima sparsim adnotavimus. Adde cavum hujusmodi aliquando ab aphthis, praeviis consuetis prodromis (64) prorumpentibus, obsideri. Nec *parotides* deglutitionem, et respirationem nonnunquam impedientes huic febri alienae sunt. Ita *salivatio*. Interdum vero talis linguae siccitas

(61) Cera l. c. p. 20.

(62) Historiam memorabilem hujus aegri in actis clinicis. An. III -- V. traditurus sum. Vide interea Hippocratem (1. Epid. aeger IX), Burserium (Op. cit. T. 1. p. 138).

(63) Heberden l. c. c. 71. Ferriar *Neue Bemerkungen über Wassersucht*, *Schwindsucht u. s. w. Léipz.* 793. 8. No. 7.

(64) Part. III. Vol. I. Cap. de Aphthis.

occurrit, ut aeger, nisi prius os humectet, loqui nequeat. Aliquando, citra siccitatem, deglutitio impedita. Alias *stomacace* (65).

Vocis, pectorisque status.

6. *Vox* vario modo in typho mutatur, observatur nempe rauca, acuta, profunda, tremula. Halitus saepe, at non semper foetens. Non raro pectoris dolor, vel constrictio urget. Nonnunquam tussicula aegros molestat. Saepissime respiratio suspiriis intercepta. Interdum inaequalis, anhelosa, praesertim statim post potum assumtum. Singultus, nisi in articulo mortis, vel praesentibus vermibus, aut advenientibus aphthis, rarum typhi sistit phaenomenon.

Abdominis conditio.

7. Hypochondria, praecipue in regione dextra non raro tensa, attactum aegre ferentia. Saepius regio epigastrica pulsationem exhibet. Ab initio morbi nonnunquam nausea, vomituritio, vomitus materiei aeruginosae, acidae, mucosae, insipidae. Diarrhoea faeculenta, serosa, pituitosa, biliosa, verminosa cuique typhi periodo, raro tamen invasioni adsociatur. Saepissime meteorismus praecipue abdominis partem superiorem occupans. Nonnunquam flatuum, et cum iis faecum involuntaria explosio.

(65) Part. III. Vol. I. Cap. de Stomacace.

Vesicae urinariae status.

8. Urinae retentio in typho, praesertim vigente sopore, commune symptoma. Tumet tunc, ac tenditur regio hypogastrica, atque sub rudiori paululum attactu, aegroti facies dolorem exprimit (66). Alias incontinentia urinae praesto est. Plerumque vero haec cum rententione complicatur (67). Priapismus rarum typhi symptoma; pluries vero ex vesicatoriis contingit.

Convalescentia, morbique reliquiae.

9. Transitus morbi in *convalescentiam* interdum ita celer, ut aegrum, quem vespere in agone constitutum dereliquisse credideris, postridie sedentem, atque hilarem invenias. Alias mutatio hujusmodi sensim sensimque contingit. In genere sequentia convalescentiae phaenomena, morbique reliquiae animadverti solent. Necessitas obdormiendi magna: de cibis continua sollicitudo, praecipue in junioribus. Interdum tamen vigiliae, et appetitus deletus. Emaciatio. Imbecillitas virium, inprimis erecto corpore. Animus infantilis ita, ut minima oblata occasione vel adulti in fletum, vel risum prorum-

(66) Vesicam adeo distentam, ut meteorismum simularet, atque octo libras lotii contineret et hoc in morbo conspexi.
(67) Cera l. c. p. 5.

pant. Magna animi irritabilitas, nec non desideriorum volubilitas. Memoria imbecilla. Interdum amentia, mania. E convalescentibus plurimi venerem vehementer appetunt, et pollutiones patiuntur. Auditus gravis, vel perfecta interdum surditas. Nonnunquam visus obnubilatio, amaurosis (68). Cephalaea. Vox acuta, flebilis. Dentes optimae ante typhum notae, omnimode postea corruptos vidi. Screatio frequens. Pulsus, decumbente convalescente, saepe sano lentior, erecto vero corpore, vel post motum, vel animi pathema, vel cibum assumtum, valde creber. Affectio pectoris nonnunquam phthisin pulmonalem simulans. Frequenter epidermis variis in locis desquamatur. Vestigia peticularum in ipsa convalescentia superfuisse vidi (69). Sudores interdum nocturni. Maxima convalescentium pars fere continuo in propriis manibus considerandis intenta. Omnes fere, minus quidem sub convalescentia, quam secundo, tertio mense post morbum, defluvium capillorum patiuntur. Curriculum convalescentiae longe magis protractum apud foeminas, quam apud mares. Illae saepe, priusquam perfectam attingant sanitatem, a symptomatibus hystericis crucientur.

(68) Acta mea clinica. An. II. p. 21.

(69) Acta mea clinica. An. I. cap. III. p. 51.

Autopsia cadaverum.

10. Cadaverum sectiones hominum typho extinctorum, contagii periculum timentes, nunquam suscepimus. Suscepit enim STOLL publice tanta discipulorum pernicie, ut plurimi ex illis lethalem contraxerint morbum. Ex sectionibus ab aliis peractis pauca lux affulget, atque hucusque nullum in cadaveribus phaenomenon detectum est, quod praegresso morbo proprium dici posset. Plerumque cadavera hujusmodi citissime a putredine corripiuntur. Superficies illorum externa multas exhibet maculas lividas. Crines minima aliquando adhibita vi evelluntur. Abdomen praeter modum tensum, et tumidum apparet. In cavitatibus cranii, pectoris, et abdominis non raro extravasatum, tum serosum, tum cruentum puriforme occurrit (70). Peticulas omnia fere ad viscera detexit STOLL (71). Inflammatio, erysipelacea omenti et intestinorum saepius observatur, praecipue si aeger abdominis cruciatibus, diarrhoea, et meteorismo obnoxius fuerit. Nullum hepatis vitium LIND detexit, quamvis aegri sub typhi decursu cutim flavam prae se tulerint: bilis tantum erat spissior (72).

(70) LIND l. c. S. 30.

(71) STOLL Ratio medendi To. VII. p. 21. ss. REIL mem. clin. Vol. I. fasc. I. No. 1.

(72) LIND l. c. S. 23.

§. L.

CAUSSAE.

In genere.

1. Ut caussas typhi eruamus, accurato examini rerum positiones, sub quibus morbus hujusmodi evolvitur, subjiciamus. Ad trutinam igitur revocabimus *aëris*, *alimentorum*, *animi pathematum*, *motus corporis*, et *contagii* influxus.

Aër.

2. Quotidiana experientia docet, typhum evolvi in locis occlusis, ac hominibus impuris, et misere viventibus refertis, in carceribus nempe, navibus, tentoriis, nosocomiis, tuguriis pauperum, officinis, et scholis male constructis, aëri scilicet non satis perviis, humidis, obscuris, sordidis, atque numero habitantium minime accommodatis. Licet sane hic morbi originem ab *aëre corrupto* repetere. Interea non reticendum, alias sub simili rerum positione, typhum tamen non evolvi. Vidimus nempe nosocomia valde impura, in quibus febris sic dicta *nosocomialis* res inaudita erat (73). Plebs Ju-

(73) Joseph Frank's *Reise nach Paris, London etc.* 2 B. S. 202.

daeorum nostratum in casis angustis, sorditie omnis generis coinquinatis degens, atque aërem vix respirationi idoneum hauriens, incolumis vivit. Utrum hic consuetudo usque ab incunabulis contracta, an vero potius peculiaris regionis atmosphaerae constitutio hujusmodi immunitatem ipsi impertiatur, non audemus determinare. Verum eo ipso in casu, ubi aër corruptus typho ansam porrigit, arduum saepe est eruere, quo pacto hoc contingat. Oxygenii saltem defectum, in atmosphaera nosocomii Ticinensis, quo tempore in eo febris grassabatur nosocomialis, eudiometro suo detegere haud potuit Ill. ALEXANDER VOLTA.

Alimenta.

3. Typhus inopiae rei frumentariae et comes, et sequela. Evolvitur hinc in urbibus obsessis, in exercitibus, in navibus inopiam esculentorum, saltem recentium, patientibus: inter rusticos servos hero inhumano subjectos: inter incolas pauperes urbium etc. Nonnunquam res frumentaria qualitate peccans hujus morbi caussam sistit, ob contractam nempe corruptelam, ob res alienas commixtas. Victum animalem prae vegetabili typho originem praebere ii dixerunt, qui caussam proximam hujus morbi ex putredine derivarunt; at nil magis a veri-

tate alienum. Divitum enim victus praecipue ex carne saepe semi-putrida constat; attamen typhus longe rarius apud eos, quam apud pauperes carnem vix extremis labiis degustantes, occurrit, ne de gentibus, quae piscibus, aut aliis animalibus corruptis vescuntur, ac sanam nihilominus vitam ducunt, loquar. Sed falsum etiam est, quod BRUNONIS asseclae jactarunt, victum vegetabilem per hypothesin debilitantem ad typhum praedisponere, vel eum excitare; sub victu enim hujusmodi, dummodo bonae notae, et debitae quantitatis sit, rusticos, et pauperes alii ciborum generi non adsuetos incolumem vitam ducere, quotidiana testatur experientia. Concludimus igitur, omnibus rite perpensis, consuetudinem et hic maxime esse momenti: citra eam vero victum cujuscumque demum generis, si vel copia, vel qualitate peccet, ideoque necessaria dosi principii nutrientis destituatur, communem typhi sistere caussam. Nec aqua paludum, vel alia putrida silentio praetereunda, aeque ac defectus liquorum fermentatorum apud assuetos, vel eorum abusus, praesertim in climate calido, extraneo.

Animi pathemata.

4. Nemo, nisi expertus crederet, quanta in animi pathematibus ad typhum excitandum vis

vis insit. Loquor enim praecipue de curis gravissimis domesticis, de spe frustrata, de patriae, et necessariorum desiderio, de morte amasii, de amore infelici, de zelotypia, de moerore, timore, etc. Animi hujusmodi pathemata et indirecte typho favent, ciborum scilicet desiderium simul cum viribus digestionis infringendo, somnum impediendo, et sic porro.

Motus corporis.

5. Labores nimii, atque inconsueti, praesertim sub ardentibus radiis solaribus, aut corpore jejuno, et vigiliis exhausto, vel a curis oppresso suscepti, caussam communem typhi sistunt; quamobrem hic morbus praecipue grassatur inter rusticos, saltem italicos tempore messis, inter milites pedestres, nulla interposita quiete, iter conficientes, praecipue armorum, vestium, aliarumque rerum nimio pondere obrutos, inter nautas sub continuis procellis etc. Sed et nimia quies, inprimis illico consuetum exercitium corporis sequens, uti hyemali tempore apud rusticos, apud milites, dum hibernant, apud nautas sub protracta malacia, ad typhum producendum contribuere potest.

Observatio.

6. Notare autem oportet, caussas hucusque recensitas eo certius deleterium effectum pro-

ducere, quo arctius societatem inter se ineunt; ita scilicet, ut una alterius vim sustineat. Nil igitur mirum, si bella, aliaeque hujus generis publicae calamitates uberrimos typhi, praesertim epidemici, sistant fontes. Ne quid malorum desit, accedit contagium.

Contagium.

7. Ex aegrotis videlicet typho laborantibus peculiare principium, quod quidem sensus effugit, sed ex effectibus ultro patet, saepissime emanat, quodque, dum sub determinatis rerum positionibus in alios homines agit, plerumque in iis similem excitat morbum, *contagium typhodes*. Quamvis enim non negaverim, caussas quasdam generales in universum populum agentes posse morbum epidemicum, citra contagium, excitare; attamen hoc rarissime relate ad typhum locum habere, experientia freti, existimamus. Omnia enim argumenta, quae contagiosam pestis naturam ostendunt (74), plerumque et existentiam contagii typhodis confirmant. Quodsi natura contagiosa typhi saepe palam haud fit, culpa non raro in eo posita est, quod non semper, ut decet, in morbi originem, et propagationem inquiritur, quodque deficit interdum exacta notitia circumstantia-

(74) §. XXXVIII. 2.

rum, quae contagii vehiculum sistere queunt. Objectum hujusmodi illustrarunt celeberrimi, et aeternum venerandi viri LIND, HAYGARTH, WILLAN, LETTSOM, CLARK, PERCIVAL, CURRIE, HILDEBRAND, aliique. Eorum vestigiis insistentes, propria experientia duce, leges, et rerum positiones eruere conabimur, sub quibus evolutio, et propagatio contagii typhodis tum in genere, tum in specie, apud varias scilicet civium classes locum invenire solet.

Observationes generales.

8. Certe non quivis typhus revera contagiosus, licet quilibet de contagio suspectus. Vis contagiosa praecipue ei typho propria est, qui peticulis, et miliaribus, aut multis sudoribus stipatur. Quo magis enarrata symptomata urgent, quoque propior morbus acmae suae est, eo major alios inficiendi potestas. Quanam morbi die aeger incipiat contagium exhalare, nec dum determinatum habetur. Dum febris, et exhanthemata evanuere, convalescens contagium non amplius exhalare videtur. E cadaveribus hominum typho defunctorum, contagium emanare, experientia docet (75). Communissima porro contagii vehicula sunt praeter res jam alla-

(75) §. praecedente 10.

tas (76), supellex aegrorum cujuscunque generis, praecipue vero vestes. Eas interdum magis quam ipsos aegrotos, contagii periculum minari, cum egregio Lind (77) observavimus. Aër, quo purior, eo minus ad contagium typhodes propagandum idoneus. Non audemus quidem limites atmosphaerae sic dictae *contagiosae* exacte determinare: eam tamen, dum puritati, atque renovationi aëris studetur, valde angustam esse, et vix duos, tresve pedes excedere, pro certo habemus. Quin immo, purissimo in aëre, non aliter contagium suscipi posse, quam attactu sive aegrorum, sive supellectilis infectae, haud dubitamus. Nulla atmosphaerae corruptela propagationi contagii magis favet, quam ea, quae ex respiratione plurium hominum oritur. Frigus contagium arcet, expandit calor.

Observationes speciales.

9. Contagium typhi utplurimum late per universos *civium* ordines disseminatur, per visitationes nosocomiorum, per venditionem vestium hominum typho demortuorum, per usum supellectilis infectae, per translationem nosocomiorum militarium, per milites typho laborantes in domibus civium exceptos, per commer-

(76) XXXVIII. 5.
(77) L. c.

cium rusticorum pagi infecti cum aliis, praecipue tempore paganalium. Frequens contagii typhodis scaturigo cauponae, ob viatores typho laborantes. Porro nil magis contagio propagando inservit, quam ecclesiae, scholae, et officinae. Hisce enim in locis, nisi ea spatiosa, et aëri pervia sint, unus, vel alter contagio imbutus facile sufficit ad morbum toti communitati infligendum. In urbibus magnis currus publici, qui, postquam aegros typho laborantes ad nosocomia advexerunt, sanis saepe inserviunt, idem periculum portendunt. Huc pertinet expositio cadaverum personarum ex typho extinctarum, eorumque incauta sepultura (78). Ipsi medici, praesertim nosocomiorum majorum, nisi omnino mutationi vestium, et puritati studeant, contagium circumferre solent. Et vestes novae, et lintea recenter lota, si in habitationibus sartorum, vel lotricum typhus regnat, privatis domibus contagium inferunt. E contra lotrices saepe praeda typhi fiunt lintea aegrotorum hoc morbo laborantium lavando. *Milites* inter contagium typhodes vario modo propagatur, dum scilicet in itinere milites sani in cubiculis, vel horreis noctes transigunt, in quibus antea aegroti jacebant, dum desertores ex infectis carceribus educti statim legionibus ad-

(78) Acta mea Clinica. An II. Cap II. p. 17. sq.

sociantur, dum milites sine debita cautela ipsos carceres, vel nosocomia custodiunt etc. Ex triginta tribus personis, quae tentoriis antiquis, sub quibus prius milites aegrotantes degebant, reconcinnandis intentae erant, septendecim mortuas esse narrat ill. PRINGLE, referente LINDIO (79). *Classibus* aliunde perfecta sanitate fruentibus typhi contagium communicatur, adventante nave infecta, atque concesso cum ea libero commercio. Ipsam supellectilem ex tali nave ad aliam delatam, ad typhum in ea propagandum suffecisse, egregius LIND testatur. Periculosum similiter est, homines ex carceribus illico ad naves deportare. In *nosocomiis* aegri aliis longe morbis affecti, contagii periculum incurrunt, dum inter eos aeger typho laborans ponitur, dum iidem custodes, eademque supellex indiscriminatim omnibus aegrotantibus inserviunt. *Medici* praecipue a contagio corripiuntur, dum stragula aegri typho affecti, atque sudantis, abdominis explorandi gratia, incaute extollunt: dum ob visus imbecillitatem faciem sub inspectione cutis, linguae, decubitus etc., aegro nimis appropinquare coguntur: dum patientium lectis insident: dum faeces adspiciunt (80); praesertim vero per diu-

(79) L. c. in *Samml. auserl. Abhandl. für prakt. Aerzte.*

(80) HAYGARTH l. c. p. 43.

turnam in nosocomiis majoribus moram. *Chirurgi* inprimis contagii vim experiuntur, dum in applicando cathetere apud aegrotos typho laborantes versantur: et ita *custodes* aegrorum nullo non tempore, dum proprium munus debito modo exercent, ne de sacerdotibus, dum aegris animam exhalantibus adstant, loquar.

De caussa proxima in genere.

10. Quamvis hypotheses circa intimam morborum naturam hoc in opere disquisitione haud dignas censeamus; tamen quoad typhum nonnulla sunt animadvertenda, eo quod quaedam ex jactatis de caussa proxima hujus morbi hypothesibus in therapiam ita influxere, ut silentio praeteriri non debeant. Sunt hujusmodi hypotheses, ne de antiquissimis jatro-chemicorum, aliorumque loquar: 1.° putredo humorum: 2.° virium vitalium, praecipue systematis nervosi asthenia; 3.° defectus oxygenii.

Putredo humorum.

11. Hypothesis, quae caussam proximam typhi in putredine humorum collocat, quaeque a gravissimis auctoribus defenditur (81), sequen-

(81) Galenus de differentiis febrium. Lib. I. p. 324. Morton Op. T. II. Prolegom. p. 16. Petrus a Castro op. cit. §. 15. Cullen op. cit. (§. VIII. 4, Not. 33.) Vol. I. §. 72. Hufeland Pathogenie. S. 320.

tibus argumentis superstructa est. Cadavera hominum typho peremtorum citissime putrescunt, hinc dispositio ad putredinem jam aderat. Demonstratur hoc ex foetore evacuationum nonnullarum sub ipso morbi curriculo contingentium, ex aucto aliquando ipsius sanguinis fluore, praecipue vero ex remediorum antisepticorum virtute. Argumenta hic allata ab aliis non minus in re medica summis viris (82) sequenti modo diluuntur. Cita cadaverum corruptio dispositionem quidem ad putredinem, quatenus morbi effectum, non ipsam vero putredinem, quatenus caussam indicat; haec enim vitae adeo opposita est, ut ex putredinis praesentia de morte certum habeatur judicium, utque vel guttula ichoris putridi massae sanguinis admixti convulsiones, aut ipsam denique mortem producat. Ex evacuationum foetore nequaquam de putredine totius sanguinis massae concludere licet; foetent nempe, et putredinem olent evacuationes sanissimorum ceteroquin hominum, e. c. sudor pedum, ulcera an-

(82) Alexander Trallianus libr. XII. p. 686. seq. T. P. Frank in delectu opusculorum medicorum T. VIII. Adam Seybert *über die Faulniss des Blutes im thierischen Korper. A. d. E. von* Davidson *Berlin* 1798. Parmentier, et Dejeux in *Journal de physique* T. I. P. I. p. 435. Vid. Reil's *Archiv für die Physiologie* I. B. 3. Heft. S. 1.

tiqua crurum; nec desunt animalia, et vegetabilia incolumia intolerabilem foetorem spargentia, uti mustela erminea, variaeque plantae venenosae. Sanguinem in typho non semper fluidiorem esse, sed imo ad coagulum aliquando promptum, jam diximus (83). Quod remedia sic dicta antiseptica spectat, ea quidem antiseptico modo in materiam mortuam agunt; longe vero aliter in corpus humanum vivens (84). Nec quae antiseptica dicuntur remedia, v. g. acida mineralia, indiscriminatim in typho proficua sunt. Quin imo, saepe hic remedia septica, e. c. cantharides, vel ipsius demum putredinis productum, ammonia, utiliter adhibentur.

Asthenia.

12. Typhum magna plerumque virium vitalium jactura comitari, non est cur dubitemus; verum exinde necdum sequitur, hujusmodi debilitatem caussam morbi sistere. Ab initio morbi typhus saepe diatheseos inflammatoriae vestigia offert. Porro, si asthenia caussa proxima typhi esset, cur infantes, et valetudinarii difficilius a

(83) §. XLIX. 3.

(84) Ita frigus intensum putredinem carnis mortuae antevertit, advehit vero eam partium vita instructarum, uti tot narium, et aurium gangraenae sub rigida hyeme testantur.

contagio afficerentur, cur, uti infra dicemus, felicius ii ex morbo evadunt, quam viri, floridique homines? Catervam symptomatum nervosorum de asthenia testari dicis, sed maxime erras; nervorum enim systematis tumultus vel ab aliis permultis caussis excitari potest, e. c. a plethora, a vitiis gastricis, a vermibus, ab irritamentis mechanicis etc. Si tandem proxima typhi caussa in debilitate posita esset, cur, quaeso, roborantia, sive excitantia sic dicta remedia vel primis morbi diebus larga manu usurpata aegritudini non occurrunt, nec eam breviorem, levioremque reddunt?

Defectus oxygenii.

13. Typhi origo saepe ex aëre corrupto, apparitio non raro macularum lividarum, nigrarum sub illius decursu, tandem profectus acidorum hoc in morbo pertractando, de defectu oxygenii testari quidem videntur; verum experimenta eudiometri ope suscepta, cruoris conditio in typho saepe coccinea, limitata acidorum virtus, aliorumque remediorum oxygenium nequaquam continentium hoc in morbo efficacia, hanc opinionem infringunt. Porro, etiamsi forte defectus oxygenii interdum in typho demonstrari posset, exinde necdum sequeretur, eum morbi sistere caussam.

Conclusio.

14. Fateri igitur oportet, hypotheses de caussa proxima typhi hucusque emissas nequaquam satisfacere, nonnunquam quidem hoc in morbo de proclivitate humorum ad putredinem, de virium jactura, de defectu oxygenii suspicari posse: haec vero omnia haud certa, et firma esse, saltem ut iis therapiae fundamenta superstrui possint. Valedicendo igitur hypothesibus nil aliud de typhi intima natura eruere licet, quam quod sit morbus sui generis, sive specificus, indolis hucusque incomprehensibilis.

§. LI.

DIAGNOSIS.

Generatim.

1. Ignorantiam, quam de intima typhi natura candide profitemur, nos non absterret, quin imo calcaria addit, ut signa gentilitia diatheseos typhodis diligentius, atque accuratius investigemus: ut affinitatem illius cum aliis diathesibus exponamus: ut periculum, typhum cum diversis aliis morbis confundendi, quoadusque fieri licet, avertamus, ipsasque demum differentias, et modificationes, quae secundum

varias rerum positiones in hac febre occurrunt, patefaciamus.

Virium jactura.

2. In omni fere morbo, praesertim febrili, aegri plus, minusve debilitatis sentiunt (85), sed nulla alia in febre haec debilitas, citra omnem saepe evidentem caussam, tam mature apparere, et tam conspicua esse solet, quam in typho. Percipiunt eam aegri quidem vel decumbentes, sed maxime sub motu corporis unde trullam cum petunt, in lipothymiam incidunt. Accedit faciei vix verbis designanda mutatio, quae, nisi aeger diu vigilaverit, venere abusus sit, vel alvi profluvium habuerit, specifica dici potest. At cavendum, ne virium jacturam, vel faciei mutationem, quam hypochondriaci ob timorem suscepti contagii saepe experiuntur, cum realibus symptomatibus confundamus. Interdum vero in typho vel in acme constituto, virium potius excessus sese prodere videtur ita, ut aegri delirantes vix a plurimis, robustisque hominibus frenari possint. Nisi hic, quod saepe accidit, alter lateat morbus, inflammatio scilicet cerebri, hujusmodi virium excessum non realem, sed apparentem esse, ex eo facile elucet, quod robur, de quo agitur, et

(85) Debilis (*Slaby*) apud Polonos synonymum aegrotantis.

inconstans, et citra voluntatis imperium sit. Idem enim aeger, qui antea sub furioso delirio vix coërcitionis capax fuerat, paulo post ita viribus destitutus deprehenditur, ut poculum desideratum ori haud admovere queat.

Febris conditio.

3. Ex *pulsu* difficulter diagnosis typhi, inprimis incipientis, eruitur. Attamen, si arteriarum vis cum sensu debilitatis aegri nequaquam congruat, sique pulsus (qui diu satis, et repetitis vicibus tangi debet) sibi non semper similis sit, suspicionem non inanem latentis typhi habebis. Longe enim minus pulsuum languor, dummodo constans, hunc morbum indicat. Et *calor* cutis mordax in medici manu, etiam ab aegro remota, sat diu ingratam sensationem relinquens, non debile typhi signum constituit, dummodo aeger plus aequo coopertus non fuerit, aut calefacientibus remediis abusus sit, quibus scilicet in casibus in omni febre talis calor produci queat. Si sub calore urente *sitis* vel nulla, vel modica accusetur, aut si sub calore sano simili, vel inferiori, intensa sitis urgeat, magis magisque de typho dubita; nil enim huic morbo magis commune, quam symptomatum contradictio, quod innumeris exemplis facile foret confirmatum.

Nervorum turbae.

4. Nervorum actio aucta, imminuta, perturbata, in omni fere typho plus minus observatur, ita ut typhus a multis *febris nervosa* nuncupetur. Verum non illico hinc licet omnem febrem cum turbis nervorum pro typho declarare. Vulgatissimus hic error multorum malorum caussa, quod ex sequentibus patebit. Encephalitis febre, delirio, sopore, subsultibus, tendinum, convulsionibus, aliisque symptomatibus nervosis stipatur; attamen toto caelo a typho differt. Homines nervis praeter modum excitabilibus praediti, inprimis hystericae, in quavis fere febre nervorum turbas exhibent (86). Ita et infantes. Praeterea non in omni typho nervorum tumultus primum inter symptomata locum obtinent, ita ut auctores febrem nervosam a febre putrida distinxerint, de quo argumento infra.

Peticulae, miliaria, parotis.

5. *Peticulae* quidem saepe saepius de praesentia typhi securum afferunt indicium, item *miliaria*: at non ita securum, ut illis solis diagnosis superstrui possit; peticulae enim non raro febrium gastricarum, vel aliarum sociae;

(86) Acta mea clinica. An. II. cap. I. p. 10.

miliaria saepius in puerperio, atque in febribus catarrhalibus erumpunt; parotis in cynanche parotidea etc. observatur, de quibus rebus debito loco speciatim. Praeterea quot non typhi sine allatis exanthematibus!

Conclusio.

6. Non ex uno igitur, sed ex plurimis signis simul desumitur typhi diagnosis, ab initio morbi saepe maxime dubia, et caute proferenda. Verum diagnosis magnum lumen ab aetiologia et hic depromere solet; unde an caussae praegressae tales fuerint, quae evolutioni typhi faveant, sedulo inquirendum.

Affinitas cum aliis diathesibus.

7. Similitudinem magnam inter diathesin typhodem, et scorbuticam interesse, quivis, qui originem, decursum, et medendi methodum typhi, et scorbuti comparaverit, facile percipiet, nec forsan inane foret typhum pro specie scorbuti acuti habere. Miramur, cel. LIND in aliam sententiam abiisse (87). Verumtamen in scorbuto systema nervorum longe minus, quam in typho, saltem ea in specie, quae a multis nervosa dicitur, affici, non inficiamur. Febres tum gastricas, tum rheumaticas, tum inflam-

(87) L. c.

matorias, si non affinitatem cum typho, saltem proclivitatem ad eum offerre, docet facilis earum transitus in diathesin typhodem, vel earum cum hac diathesi complicatio.

Typhus cum aliis morbis confundi potest.

8. Typhus, saltem incipiens, confundi potest cum febre catarrhali, cum febre gastrica, cum febre inflammatoria, et cum encephalitide. Verum ut haec diagnoseos pars rite intelligi queat, doctrina morborum hujusmodi praemitti debet, quamobrem illam ad alia hujus operis loca remittimus.

Typhi varietates.

9. Inter typhum, typhumque magnum interdum discrimen intercedit, qua de caussa non abs re erit hujusmodi objectum exactae disquisitioni submittere. Ante omnia vero examinabimus, utrum inter typhum nimia nervorum sensibilitate stipatum (88), et eum, qui stupiditate sensorii insignitus est (89), reale, atque constans discrimen locum inveniat.

An differentia inter febrem nervosam, et putridam.

10. Qui hujusmodi discrimen locum habere

(88) Febris nervosa auctorum. Febris nervosa versatilis J. P. Frank.

(89) Febris putrida auctorum. Febris nervosa stupida J. P. Frank.

statuunt, id sequentibus argumentis comprobare satagunt. Typhus *cum sensibilitate nimia systematis nervosi*, sive febris nervosa proprie dicta, utplurimum sporadice grassatur: caussa excitans, inprimis animi pathemata: sedes morbi praecipua, systema nervorum: methodus medendi remedia volatilia, sic dicta *nervina* dynamico modo operantia. Typhus e contra *cum stupiditate sensorii communis*, utplurimum epidemice more saevit: caussa plerumque contagium: sedes morbi sanguis, totaque corporis massa ad putredinem maxime prona: methodus medendi acida, aliaque remedia antiseptica chemico modo operantia. At facta hic allata non sine gravibus exceptionibus admitti possunt; primum enim indiscriminatim una, alterave forma morbi sporadice, et epidemice regnant, ea solum differentia, quod sensibilitas nervorum nimia rarius, quam stupor occurrat. Ambae ex contagio saepe originem trahunt, vel et sine eo oriuntur. In una quidem morbi forma plus nervi, in alia plus ceterae corporis partes laedi solent, verum saepissime utraque evidenter patiuntur. Centies saltem, et ultra nervorum sensibilitatem auctam simul cum ecchymomatibus, haemorrhagiis, aliisque sic dictis putredinis notis conspexi. Porro facillime una morbi forma in aliam transit. Methodum medendi quod attinet,

sane ea in typho pro variis rerum positionibus ad infinitum varia; sed limites inter remedia hic indicata, prout dynamico, vel chemico modo agunt, statuere, nimis hypothesin sapit. Omnibus igitur rite perpensis, arbitrio uniuscujusque relinquimus duas illas typhi formas inter se invicem distinguere; nos autem quod spectat, necessarium non arbitramur, divisiones morborum, nisi id reales differentiae postulent, multiplicare.

Complicatio inflammatoria.

11. Maxime vero refert *complicationem inflammatoriam*, quae saepe in typho sibi locum vindicat, haud spernere. Complicatio hujusmodi observatur in juvenibus, in hominibus robustis, floridis, sed etiam in aliis, imperante id generali annua, vel epidemica constitutione. Item post suppressas, citra debilitatem, consuetas haemorrhagias: in hominibus demum liquoribus fermentatis deditis, nec non in regionibus calidis. Facies, et universa cutis tunc rubent, atque praeter modum urunt (90): oculi micant: proclivitas ad epistaxin occurrit: urina est flammea, alvus obstructa, urgent symptomata catarrhalia, interdum ardor ventriculi percipitur: pulsus vibrans, plenus, fortis, saepe oppres-

(90) *Causus*, sive *febris ardens* veterum.

sus. Symptomata enarrata non solum sub exacerbationibus, sed et remittente febre plus, minusque vigent. Ceterum fatemur, signa complicationem inflammatoriam typhi indicantia valde incerta esse ita, ut magna mentis acies, sedulaque omnium rerum positionum inter se invicem comparatio ad diagnosin hic instituendam requiratur.

Complicatio rheumatica.

12. *Rheumatici* quid non raro typhum comitatur, annua constitutione morbis rheumaticis in genere favente, dum typhus ex febre rheumatica neglecta, vel male curata originem traxit: dum inter caussas morbi refrigerium, vel transpiratio suppressa numerantur. Occurrunt sub hac complicatione artuum cruciatus sedem saepe mutantes: cutis solet esse sicca: tussis, aliaque symptomata praeter modum intensa. Verum, ne praepostere ad complicationem rheumaticam hoc in morbo concludamus, praesertim ex artuum doloribus; sunt enim dolores hujusmodi saepe indolis typhodis, spasmodicae, verminosae etc.

Complicatio gastrica.

13. Apud egenos, ob victum pravae saepe indolis, difficilisque digestionis, sed et apud divites, dum gulae nimis indulgent, facile ty-

phus *complicationem* induit *gastricam.* Idem contingere solet, dum impetus morbi praesertim viscera chylopojetica aggreditur, vel dum hujusmodi viscera, ob consensum, quem cum sensorio communi habent, indirecte laeduntur, atque ad secretiones morbosas incitantur. Accedit ad hunc effectum producendum saepe et annua constitutio morbis gastricis favens. Praeter consueta tunc symptomata gastrica, peculiaris saepe occurrit anxietas, et inquietudo. Hypochondria tensa sunt, cutis, et praesertim facies flavet, genae rubore circumscripto notantur, aeger de ardore, morsuque ventriculi conqueritur, vomitus, vel diarrhoea cum levamine contingit. Fallaciae autem plena symptomata gastrica esse, infra exponemus (91).

Complicatio verminosa.

14. Inter gastricas typhi complicationes primum saepe locum, saltem in Lithuania, obtinet proventus *vermium.* Complicationis hujusmodi indicia sunt pallor faciei cum rubore saepe alternatim comparens: sanguinis stillicidium e naribus: narium pruritus: abdominis vagi dolores, nausea, singultus, aliaque multa signa alibi (92) tradenda. Praesertim vero enumera-

(91) Cap. V. §. LX. 8.

(92) In Parte III.

torum symptomatum momentum crescit, dum constitutio annua, dum aetas, dum regio evolutioni vermium favent, dumque vermes ipsi, vivi, mortui, corrupti secedunt. Alias nempe vermium indicia valde ambigua, et maxime cavendum, ne ob apparitionem unius, alteriusve vermis, ad praesentiam complicationis verminosae concludamus; saepe nempe vermes nullo pacto in praesentem morbum influunt.

§. LII.

PROGNOSIS.

In genere.

1. Periculi plenus est typhus, neque ars hucusque de optima, sive secura medendi methodo in eo pertractando gloriari potest. Sit igitur prognosis cauta, sitque a nobis aliena arrogantia eorum, qui vel ob experientiae defectum, vel ob animi levitatem multa in hoc morbo curando promittunt, saepe vero se, aegrosque turpiter fallunt. Typhus epidemicus, castrensis, carcerarius, nosocomialis prae ceteris infensissimus. Typhus epidemicus, ingruente epidemia, utplurimum majore vi saevit, quam cum morbus jam in immensum serpit. In quibusdam epidemiis, omni etsi adhibita cura, vix septimum aegrorum salvabis; alias minori forte solertia,

vix vigesimum amittes. Plerumque gravius affliguntur mares (93), maxime homines robusti, et floridi, obesi, vel macilenti nimis, venere, jejunio, vel animi pathematibus labefactati, abusui liquorum fermentatorum dediti, extraneo climati necdum adsueti (94): ita tempore pubertatis, vel menstruorum cessationis. Nullum habetur signum, ex quo certa deduci possit prognosis. Alii nempe cum perniciosissimis signis sanitati restituuntur, alii cum salutaribus e medio tolluntur. Quaevis tamen epidemia propria signa habere solet, e quibus sive bona, sive mala sat certo praesagiri queunt.

Signa mala.

2. *Malum* in genere: insignis virium mox sub incipiente febre prostratio, abjectio animi (95), manifesta faciei a forma consueta aberratio, eaque tumidula, oculus oculo minor (96), ita oculi semi-aperti, immobiles, materies pu-

(93) In nosocomio Vindobonensi aequalem fere numerum marium, et foeminarum pertractavi, et semper mortalitas ex typho inter primos duplo ad minimum major fuit, quam in secundis.

(94) Acta mea clinica. An. II. Cap. II. p. 29.

(95) Omnes inter nostros aegros typho detentos periere, qui, sive mentis compotes, sive delirantes, continuo de mortis periculo loquebantur.

(96) Quin hoc ex conglutinatis forte palpebris contingat.

riformis ex iis scaturiens, capilli flaccidi, delirium, praecipue ferox, sive cantu insignitum (97), vel in soporem transiens : lingua arida, scissa, nigra: deglutitio impedita: potus cum strepitu in ventriculum quasi in dolium vacuum descendens: respiratio laboriosa, anxietas, jactatio : meteorismus sub diarrhoea crescens: alvi profluvium serosum ab initio morbi, singultus: faecum, et urinarum in lectum depositio, inprimis dum hoc aegro ceterum sibi compoti contingit: lumborum vehementes dolores: priapismus (98) : urina aquosa, aut mature largo sedimento instructa: haemorrhagiae effrenes, praesertim ex intestino recto (99): pulsus durus, parvus, celer, myurus, frequentissimus: remissiones febris vix perceptibiles, unguium livor : si brachia elevata fuerint, et ea statim proprio pondere cadant, sique manus pulsum tangendi gratia arrepta, tremula fit: si pedes continuo nudentur: si aeger, praesertim foemina

(97) Qui in typho sub delirio cantarunt, quotquot vidi, diem obierunt supremum.

(98) Priapismo detentorum sub typho, nec unus inter meos aegros sanus evasit.

(99) Quoties haemorrhagiam intestinorum, citra haemorrhoides, in typho vidi, ter scilicet, toties morbus morte terminabatur. Felicior fuit cl. ROMER. Vid. HUFELAND's *Journal* 28 B.

inverecunde, sive divaricatis cruribus decumbat: si exanthemata, vel copiosi sudores primo morbi initio erumpant: si gangraenae spontaneae sine reali levamine contingant, sive decubitus celeriter depascat: si cutis universa flavescat: si aeger odorem cadavericum oleat: si inconsueta muscarum copia circa lectulum congregetur: si vesicatoria acriora effectu destituantur, vel, testante LIND (100), si vesicula ab iis excitata ichore viridescente repleatur.

Signa bona.

3. Contraria *bona*, praesertim febris regulariter sua stadia percurrens: symptomata, quoad usque morbi indoles id permittit, inter se cohaerentia: evacuationes provectiori morbo cum levamine contingentes: salivatio sine aphthis, praecipue screatio: surditas post septimum diem: ita levis tussis: somnus reficiens: consuetudines sani hominis redeuntes, e. c. pulveris nicotianae desiderium.

Dies, horaque mortis.

4. Arduum foret *diem*, quae prae aliis lethalis evadit, indicare, nisi data, cognitaque epidemia. Plerumque tamen major funerum numerus, decima, duodecima, decima quarta die.

(100) L. c. S. 32.

Quorum morbus ultra protrahitur, plerumque sani evadunt. Ad *horam* quod spectat, nullà equidem assignari potest, quae prae ceteris aegris funesta sit.

DE FEBRE TYPHODE LENTA.

§. LIII.

Definitio.

1. Febris primaria continua, lente, nec non dolose insidias struens, magna virium jactura, ac symptomatum contradictione comitata, *typhodes lenta* dicitur. Varia olim nomina ea obtinuerat (1).

Scriptores.

2. Egregie de hac febre scripsere, ne de antiquissimis medicis loquar (2), Willis (3), Sydenham (4), Langrish (5), Manningham (6),

(1) Febris maligna, hectica. Febricula. Febris lenta nervosa.

(2) Quanta eorum in hac febre, sub nomine *morbi cardiaci*, pertractanda fuerit doctrina, abunde doctissimus Falconer demonstravit. *Memoirs of the medical society of London.* Vol. VI. p. 1. Etiam in *Sammlung auserl. Abh. fur prakt. Aerzte.* 23 B. 3 St.

(3) Pathologia cerebri p. 56.

(4) Febris nova anni 1685. Sched.

(5) *Modern theory and practice.*

(6) *The symptoms, nature, causes, and cure of the febricula or little fever. Lond.* 1755.

Huxham (7), Chilchrist (8), Vogel (9), Gotel, Weikard, et Damiani. Morbi hujusmodi descriptio ab Huxhamo relicta ceteris antecellere videtur; quamobrem in grati animi signum vulgo *febris lenta nervosa* Huxhami vocari solet.

Symptomata.

3. Morbus sensim sensimque cum lassitudine, praecipue membrorum defatigatione, lumborumque dolore incipit. Accedunt vagi horrores cum calore alternatim comparentes. Saepe dum volae manuum urunt, extrema frigescunt; dum caput ardet, algent pedes. Animi maxima observatur irritabilitas, atque aegri minima porrecta caussa nunc rubent, nunc pallescunt, atque facillime terrefiunt. Suspiria crebra, vox debilis, tremula, interdum involuntaria lacrymatio. Pulsus saepe sanum frequentia non superat, vel eo lentior; aliquando tamen frequentissimus, semper variabilis, et inconstans. Aegri de capitis dolore, de aurium susurro conqueri solent. Mox digestio laeditur, testantibus

(7) Op. cit. (§. IX. 3.) Liber de febribus. Cap. VII. De febribus lentis, et nervosis. Dissertatio de febribus lentis nervosis.

(8) *Medical essays and observations by a Society in Edinburgh.* T. IV. art. 23. P. II. art. 48.

(9) Diss. de febre nervosa, ejusque genuina indole.

id praecordiorum oppressione, nausea, ructibus, ciborum desiderio deleto, alvoque tarda. Urina copiosa, pallida. Somnus inquietus, haud reficiens. Hic rerum status per hebdomadam, et ultra protrahitur, quin aegri facile lectum petant. Interea multa occurrunt symptomata, nunc catarrhalia, nunc alia, e. c. diarrhaea serosa, fluor albus, haemorrhoides, respirandi, vel et degluticndi difficultas, cordis palpitatio, sudores partiales, glutinosi, frigidi, saepe profusi, dolores quasi rheumatici. Potissimum vero vires mirum in modum deficiunt. Piget moveri, piget loqui. Saepe delirium occurrit sine furente tamen insania, cum vigiliis: alias sopor. Nil prorsus interea poscunt, ne potum quidem. Jam tendinum subsultus adest, tremunt manus, tremit lingua, quae muco subalbido obducitur, atque in media ejus parte arescit. Symptomata hujusmodi saepe remittunt, ac dein sine ordine, et sine data caussa invalescunt. Facies, et praecipue oculi praesentiam gravis morbi exprimunt. Urina vappidi instar vini, aut cerevisiae, haud raro subnigra, subinde paullo crassior, farina quasi inspersa. Praevia anxietate interdum miliaria, alias peticulae, non tamen multae, nec admodum evidentes prorumpunt, ita interdum et aphthae. Res sic ad tertiam hebdomadam, ad mensem, quin imo ad quin-

quaginta dies, et ultra extenditur. Felici in casu symptomata paullatim imminuuntur, ac vix unquam crisis occurrit. Alias stragula contrectant, et inanes quasdam imagines prehendere tentant. Extremitates fiunt gelidae cum pulsu exili admodum formicante, jamque vox faucibus haerens, ungues, digitique lividi, facies cadaverosa, perpetua fere, ac frigida suspiria certissimam instare mortem praenuntiant.

§. LIV.

Caussae.

1. Febris typhodes lenta rarius a contagio originem trahit, quam acuta, sive acutissima. Utplurimum nempe peculiaris annua constitutio ansam illi praebere videtur. Grassari autem solet morbus hujusmodi in regionibus humilibus, atque uliginosis, praesertim in urbibus, autumno praeter modum calido, et humido. Huic febri praecipue obnoxii sunt juvenes, circa epocham pubertatis, dum sub rigida disciplina ad nimia studia, vitamque sedentariam coguntur, aut ii, qui onaniam exercent. Item milites tyrones e solo patrio vi abrepti, atque ad regiones longinquas sermone, moribus, vivendi modo diversas, perducti, inprimis si iis victus necessarius subtrahatur, atque modo inhumano

tractentur. Ita foeminae lactatione, menstruatione nimia, fluore albo, masturbatione exhaustae: viri graciles, curis domesticis, vigiliis, studiis, venere labefactatis. In genere, favente annua constitutione febri typhodi lentae praecipue ansam porrigere videntur animi pathemata, potissimum nostalgia, amor infelix, zelotypia, alimenta cruda, difficilis digestionis, domicilia humida, occlusa etc. Non raro febris hujusmodi ex aliis morbis neglectis oritur, e. c. ex scorbuto, ex febre rheumatica etc.

Diagnosis.

2. Febrem typhodem lentam morbum sui generis sistere, a typho proprie dicto diversum, ex comparatione symptomatum, et caussarum abunde elucet. Interea quandam analogiam hasmet inter aegritudines locum habere, negari haud potest. Ni fallimur, Huxhami febris typhodis lentae descriptio non omnes ejusdem febris formas satis complectitur; non enim semper hac in febre systema nervosum ita constanter laborat, ac Cl. Vir retulit. Vidimus febres ob lentum curriculum, ob virium jacturam, ob symptomatum contradictionem, ob caussas excitantes, ob annuam demum constitutionem, omni jure ad typhodes lentas revocandas, in quibus tamen princeps morbi sedes

non tam in nervis, quam in viis respirationis, vel in tubo intestinali animadvertebatur. Proteiformis hic morbus periculum portendit febrem typhodem lentam cum aliis aegritudinibus confundendi, praecipue cum mania, et phthisi pulmonali. Ad hoc periculum avertendum praecipue virium vitalium, et symptomatum contradictionis ratio habenda est (10). Tandem

(10) Duae morborum historiae rem clariorem reddent: 1. Juvenis viginti circiter annorum nosocomio Vindobonensi anno 1799 commissus fuit, ac si *mania* laboraret. Morbus erat recens, et delirium taciturnum. Magna occurrebat virium prostratio cum proclivitate ad lipothymiam. Facies alternatim nunc rubebat, nunc pallescebat. Pulsus vix febrilis, sed valde debilis. Quum febres tunc temporis regnarent typhodes lentae, similem morbum et hic latere posse, suspicatus sum. Peticularum nonnullarum praesentia hanc suspicionem confirmare videbatur, donec post dies tres tota caterva symptomatum febris lentae nervosae rem extra dubitationis aleam poneret. Opportuna adhibita medela, aeger sat cito convaluit. 2. Puer duodecim circiter annorum in febrem, uti videbatur, catarrhalem incidit, cui brevi post omnia phthiseos pulmonalis symptomata sequebantur ita, ut proximus interitus tertia jam morbi hebdomade versus finem vergente tum a medicis ordinariis, tum a parentibus expectaretur. In consilium tunc vocatus praeter symptomata phthiseos pulmonalis, magnam, atque inconsuetam virium jacturam delirio comitatam observaveram. Eo ipso tempore (autumno a. 1807) Vilnae febres sic

sciendum et febrem typhodem lentam suas agnoscere complicationes ex qualitatibus supra allatis (11) recensendas.

Prognosis.

3. Morbi revera maligni specimen febris thyphodes lenta exhibet. Optime et prognoseos momenta exposuit laudatus HUXHAMUS (12). « Pestifera semper est, inquit, ubi aphthae nigrae, petechiae fuscae, lividae, atrae, aut vibices quasi apparent, praesertim si accedit alvus cita, plumbea, nigra, colliquans, aut sudores oleosi. Papulae rubrae, floridae, copiosae, aut plurimae pustulae miliares turgidae, in statu morbi erumpentes, bona praesagiunt: praecipue si accedunt sputa liberalia continua, aut multae crassae subsidentes urinae. Juvat et tunc temporis saepe lenis diarrhoea, blandus persaepe juvat per omnia membra diffu-

dictae lentae nervosae grassabantur. Haec cum ita fuerint, considerando simul celerem morbi decursum, atque constitutionem aegri ceterum phthisi pulmonali non faventem, morbum pro febre lenta typhode declaravi, atque prognosin longe feliciorem institui. Ac revera, adhibita methodo febri lentae nervosae accommodata, aeger spatio duarum hebdomadum perfectae sanitati restitutus est.

(11) §. LI. 11-14.

(12) Dissertatio de febribus lentis nervosis. Op. p. 165.

sus, aequalis, tepidusque sudor: salutaris nonnunquam erumpit parotis: prosunt nonnunquam aphthae albae, benignae. Convalescentes frequentissime surdescunt, ac saepe habent apostemata in meatu aurium salutifera. »

§. LV.

CURA.

De prophylactica in genere.

1. Ex febrium typhodum tradita hucusque doctrina tum earum periculum, tum artis in iis sanandis limitata potestas palam fit. Maxima igitur cura in hoc versari debet, ut morbo occurratur. At medici hac in re sine magistratus auxilio parum efficere queunt (13). Illorum autem officium est huic consilia suppeditare, regulasque rerum positionibus accommodatas proponere.

Antidota.

2. Veteres medici, quum potissimum febrium pestilentialium caussam in aëre quaesiverint,

(13) Strachocki, qui anno 1677 scripsit libellum de peste (*krotki o morowyn powietrzu dyskurs*) asserit, difficile esse omnia ad bonum ordinem reducere ob Rempublicam liberam, ideoque oportere pati vadere res, ut vadunt.

multa remedia ad eum corrigendum, purificandumque excogitarunt. Credulitas potius, quam experientia hujusmodi antidotis seu simplicibus, seu compositis celebritatem conciliasse videtur. Elenchus eorum invenitur apud SENNERTUM (14), SCHNEEBERGER (15), SPRENGEL (16), WILSON (17), atque doctissime quoque de hoc argumento egit eximius LERNET. Hîc satis erit de celebrioribus, nec non vulgatissimis sermonem instituere. Pertinent ad ea, ne de amuletis (18), de tragea bezoardica, atque de similibus agam, theriaca, de qua fusius infra (19), tum et ustio cornuum, ossium, cumulorum stercoris, vel lignorum aromaticorum, e. c. juniperi communis, aloës, santali citrini etc. Subfumigia illa atmosphaeram potius inquinare, haec autem foetorem potius velare, quam tollere, per se patet. *Ignis* secundum physices leges nil qui-

(14) Op. T. II. p. 763.

(15) Catalogus medicamentorum simplicium, sive euporiston remediorum pestilentiae veneno adversantium. Cracoviae 1561.

(16) *Krit. Gesch. der Medic.* Th. 3. S. 140.

(17) Op. cit. p. 402.

(18) UMIATOWSKI, ductus auctoritate MERCURIALIS praeceptoris sui laudat arsenicum cum aromatibus, et gummi arabico in pastam, et formam annuli redactum, cordi applicandum.

(19) Num. 4.

dem praestare potest, quam renovationem aëris ob ejus rarefactionem. Illius tamen usum ad antevertendum typhum admittit Cl. LIND (20), ac sapienter monet, hoc ab experientia confirmatum auxilium nequaquam ob id, quod theoriis receptis adversetur, rejiciendum esse, ac revera ignem tum in nosocomiis, tum in domibus privatis, ad praecavendas febres contagiosas nunquam removendum censemus, quoniam, etiamsi nullo alio pacto, quam per aëris renovationem agat, hoc jam sat beneficii affert. Idem porro auctor factum magni ponderis offert (21), quod de virtute anti-contagiosa *fumi* testari videtur, et facile crederem, aërem in tuguriis rusticorum, et Judaeorum Lithuanorum ob continuam fere fumi praesentiam, raro consuetos deleterios effectus exerere. Verum et exempla haud reticenda, ubi post ignem in plateis per tres dies continuatum, major secuta est ex peste mortalitas (22). Nonnulli porro nitratem potassae in ignem injiciunt, ita gaz respirationi haud idoneum generari ignorantes. Idem explosio tormentorum praestat, vim sa-

(20) L. c. p. 167.

(21) L. c. p. 168.

(22) Narratur hoc a D. PAPON, agente de peste Massiliensi, testante doctissimo LERNET.

lubrem physice tantum in aërem exercens, ceterum autem gaz hydrogenium sulphuratum evolvens. Longe vero aliter de *subfumigiis acidis* cogitandum, quorum potestas aërem ab effluviis noxiis liberandi minime in dubium vocari potest. Primum hujus auxilii, imperfectum licet, exemplum illum nobis dedisse arbitror, qui *subfumigia ex aceto*, alterum, jam magis absolutum, qui ea *ex sulphure accenso* suggessit (23). Hoc autem non impedit, quominus gloriam inventionis omni jure praeclarus Vir, GUYTON-MORVEAU (24) sibi vindicare possit. Huic enim *subfumigia ex acido muriatico*, quae optime aëri ab effluviis animalibus purificando inserviunt. Evolvuntur eadem addendo acidum sulphuricum muriati sodae, praesertim adhibito in auxilium calore. Ad obtinendos vapores *acidi muriatici oxygenati* adjicitur oxydum magnesii (25). Nec silentio praeterire possumus cl. C. M. SMITH, auctorem *subfumigii ex acido nitrico* (26),

(23) In peste, quae Moscuae a. 1771 grassata est, subfumigia ex pulveribus *sulphur* continentibus adhibebantur, referente SAMOILOWICZ. Confirmatur a Cl. MINDERER l. c. S. 22.

(24) *Traité des moyens de désinfecter l'air. Paris* 1802.

(25) R. Muriatis sodae uncias tres: oxydi magnesii drachmas quinque: acidi sulphurici drachmas septem; aquae unciam unam. M. in vase vitreo, vel terreo.

(26) Vid. *Bibliothèque Britannique*; et J. FRANK's *Gesundheitstaschenbuch* 1803.

quod obtinetur ope acidi sulphurici, et nitratis potassae. -- Si vero quaeratur, cuinam ex utrisque palma tribuenda sit, dicam, in genere subfumigiis ex acido muriatico oxygenato; potentius enim agunt, altius in atmosphaeram sese elevant, ac longe minori pretio veniunt. Interea fateor, subfumigia ex acido nitrico ibi melius conducere, ubi agitur de purificandis locis, in quibus aegroti affectione pectoris laborantes degunt; acidum enim muriaticum, praecipue oxygenatum, potenter nimis pulmones invadit. -- Debitam laudem subfumigiis acidis dum tribuimus, attamen non reticemus, ea, nisi simul maxime puritati, ac renovationi aëris studeatur, aegre effectum praestare, eaque tandem nullo pacto actionem contagii *per contactum* impedire, de qua re evidentissima collegimus testimonia. -- Superest postremo, ut de aliis quibusdam jactatis pestis antidotis rationem reddamus, de cauteriis nempe, et fonticulis, de frictionibus oleosis, de inoculatione vaccinae, et pestis, nec non de mercurio. *Cauteria*, et *fonticuli* tanquam antidota adversus pestem, et alias febres contagiosas commendati fuere ab ETTMULLERO, HILDANO, RIVERIO, et BARTHOLINO (27): utrum

(27) Vid. Acta med. Hafniens. Vol. IV. p. 152.

hypothesium pathologiae humoralis gratia, an duce experientia, non audemus statuere. Narrat cl. PUGNET, neque fonticulos, neque setacea apud Gallos in peste Syriaca an. 1799 morbum antevertisse. At fatetur tamen cl. LARRET (28), in Syria aegros, quorum vulnera fortiter suppurabant, a peste immunes mansisse, et contrarium de iis, quorum ulcera sanationi proxima erant, asserit. *Frictiones totius corporis ope olei olivarum* ad praecavendam pestem maxime quidem commendatae fuere (29); verum ambigue de iis loquitur cl. DESGENETTES (30). Quid de *vaccinatione* ad pestem antevertendam proposita a cl. Eusebio VALLI cogitandum sit, tempus docebit. Homines, qui paullum antea variolas perpessi erant, a peste liberos mansisse, plurimae hujus morbi epidemiae docuerunt. Ipsius autem *pestis inoculationem*, ut morbus lenius saeviat, vel recentiora funesta exempla reprobant (31). Nec mercurii interne sumti laus (32) hîc extra dubitationis aleam posita. -- Ex hisce

(28) L. c. p. 120.

(29) *Osservazioni circa un nuovo specifico contro la peste, ritrovato, e fatto sperimentare da* GIORGIO BALDWIN. *Firenze* 1800.

(30) L. c.

(31) Exempla hujusmodi refert cl. MAC-GREGOR.

(32) Cl. VIEN, MAC-GREGOR.

omnibus apparet, medicos nostri aevi non immerito omnem spem occurrendi febribus typhodibus, praecipue pestilentialibus, in *removendo contagio* ponere, qui scopus, ut secure, imminente saltem jam morbo, attingatur, sequentes regulae sacrae sunto. De legibus enim, quibus adventus febrium typhodum acutissimarum ex longinquis regionibus impeditur, hic loqui ab objecto nostro alienum nimis foret.

De regimine febris pestilentialis, et typhi.

3. Locus de peste suspectus mox custodia militari circumdandus, ne quis fuga sibi consulere possit. Eadem pecudum habenda est cura. Aegri a sanis, atque ab utrisque suspecti de morbo, separandi. Huic operi perficiendo, praeter medicos (33), cives cognitae probitatis praeficiendi. Conventicula inter incolas nequaquam permittenda, quare ecclesiae, scholae, theatra, et cauponae claudendae, et omnis fere venditio prohibenda. Sumptibus publicis annona comparari, et ab hominibus probatae sanitatis distribui debet. Permutatio numeratae pecuniae desinenda (34). Puritati urbium, domuumque plus quam unquam studendum, nisi forte peculiaris

(33) Minderer l. c. p. 51.
(34) §. XXXVIII. 4.

epidemiae indoles doceat, immunditiem potius morbum antevertere (35). Tuguria, vel tentoria pro sanis in campis construenda. Aedes, in quas contagium irrupit, si non magni pretii, comburendae, alias repurgandae saltem, non neglectis subfumigiis acidis. Funera omni adhibita cautela, et clam ducenda, ne scilicet civium animi, quod sub omni respectu vitari oportet, ulterius frangatur. Summa porro cura vestium, et supellectilis suspectae, sive infectae habenda; comburenda omnia sunt, aut si hoc fieri nequeat, subfumigio ex sulphure, nitrati potassae nupto, in carbones accensos injecto, submittendae, vel etiam lavandae. In aqua enim vim inesse magnam ad contagium tollendum, egregius LERNET cum aliis censet, parum autem tribuit ventilationi. Nil autem magis contagium pestilentiale destruere videtur, quam lixivium causticum (36). Regulae hic traditae, certis limitibus circumscriptae, vel consueto typho contagioso adaptari queunt: atque revera miramur, Respublicas in terribili flagello, nisi eradicando, saltem arcendo, vires suas non satis hucusque intendisse, eoque magis miramur, cum prae-

(35) Nisi urgens necessitas id postulet, medici abstinere possunt a pulsuum exploratione, annuente cl. LERNET.

(36) MINDERER l. c. S. 45.

laudati medici (37) alte hac in re vocem extulerint. Regulas autem ad antevertendum typhum contagiosum inter cives, milites, nautas, ille magna ex parte eruet, qui hujus operis partem, quae rerum positiones propagationi contagii faventes exponit (38), sedulo perpendet, nec ea negliget, quae de regimine nosocomiorum pro febribus contagiosis alio loco (39) tradidimus. Verum quomodocumque fiat, impossibile nobis videtur homines, qui ex officio ad intimum cum aegris typho laborantibus commercium coguntur, a periculo contagii immunes reddere. Enim vero pro inevitabili fere tributo typhum nosocomialem in maxima parte sacerdotum, medicorum, et aegrorum custodum, in magnis saltem nosocomiis, praesertim militaribus, belli tempore, quo desideratus rerum ordo minime obtineri potest, habemus. Verum cum timor evidenter ad contagium suscipiendum praedisponat, vincant illum oportet, adeantque nosocomia virtute, quae viros munere publico fungentes decet, atque exemplum a militibus, aggeres tormentis munitos intrepide aggressuris, desumant, sperentque postremo in Deum Maximum.

(37) §. L. 7.

(38) §. L. 8 9.

(39) Jos. Frank's *Reise etc.* 2 B, S. 199 et 358.

Cura invasionis.

4. Praesentibus jam febris typhodis ex contagio indiciis, quaeritur, utrum liceat adhuc susceptum contagium expellere, atque ita morbo statim finem imponere, nec ne? Analogia ex aliis contagiis petita pro negativa stat; nullum enim contagium febrile, cum semel corpus humanum aggressum est, a praeda, in quam saeviit, demigrat, priusquam morbus curriculum suum absolverit. At typhodes contagium exceptionem hujus regulae constituit. Debellatur etenim nonnunquam typhus ingruens *emetico*, et *regimine sudorifero*. Primum de *emetici* usu. Conducit remedium hujusmodi, ubi contagium extemplo hominem aggreditur, item in personis nervis non admodum sensibilibus praeditis, nec non expetente id peculiari epidemica constitutione. Alias ab emetico abstineas velim, atque omni sane jure ill. Quarin inquit: « Non » certe in omni febre putrida ex contagio orta, » ut quidem suadent, emeticum est porrigen- » dum (40) ». *Regimini sudorifero* locus est similiter, dum contagium illico invadit, atque in morbi primo principio, porro dum indoles epidemica ita constituta est, ut felix morbi

(40) Quarin op. cit. (supr. p. 4. Not. 12.)

eventus nonnisi per multos sudores obtineri possit (41), tandem absente omni plethora, vel inflammatoria complicatione. « Quamplurimum noxae agyrtarum in manibus sudorifera attulerunt; sed non minora *autiphlogisticae*, ut vocant, methodi, ad singulos nunc morbos extensae, sunt damna. Experientia sola est, quae meliorem curationis viam ostendat, nec quibus populus tam saepe abutitur remediis, illa, si, quo oportet, loco subministrentur, effectu destituuntur (42) ». Indicata igitur diaphoresi, absolutoque forte indicato vomitu, aeger lecto se committere, atque potum aromaticum calidum haurire debet, e. c. infusum theae viridis, florum sive tiliae europaeae, sive sambuci nigrae, cum vino, aut taphia. Ad promovendum, sustinendumque sudorem vel *theriacae*, huic pretioso antiquitatis antidoto, praecipue sub magna virium, animique dejectione, locus est (43). Alias pulvis *ipecacuanhae cum opio* (44),

(41) Ita cura febris sudatoriae anglicanae omnino in sustinendo, promovendoque sudore posita erat.

(42) J. P. Frank Epitome Vol. I. p. 129.

(43) R. Theriacae Venetae a scrupulis duobus ad drachmam unam: vini optimi calidi unciam. M. Cap. unica vice.

(44) R. Pulveris Doweri grana tria: sacchari albi grana decem. D. Doses tales tres. S. Cape quaque hora dosin.

sive *oxydum stibii cum sub-phosphate calcis* (45) adhiberi potest.

Cura morbi in genere.

5. Febre typhode absolute evoluta, inquirendum est, utrum morbus sit *simplex*, an *complicatus*. Primum *de cura morbi simplicis*, quae *regimen* respicit, et *pharmaca*. De singulis speciatim.

Regimen in genere.

6. Vehementer hallucinaretur, qui putaret, curam febrium typhodum solam in pharmacorum usu positam esse; maximum enim illius momentum *regimen diaeteticum* sistit. Respicit autem regimen hujusmodi praecipue *statum atmosphaerae*, *temperaturae*, *cubiculi*, *lecti*, *potus*, *ciborum*, *animique*.

Atmosphaera. Temperatura.

7. Aeger decumbat oportet in amplo conclavi, ut, monente jam Celso (46), multum, et purum aërem trahere possit. Malo enim, excepto rigidissimo anni tempore, ut aeger in aëre aperto, e. c. in horreo, quam in loco occluso, vel angusto jaceat; aëris enim liberi, atque frigi-

(45) Pharm. Ruth. p. 204. Phosphas calcis stibiatus Swediaur. Pulvis antimonialis Ph. Lond. Dosis a granis quinque ad octo.

(46) Curatio ardentis febris. Lib. III. cap. 7.

diusculi (47), quin imo frigoris, tanta est adversus typhum in genere vis, ut non desiderentur exempla aegrorum, qui, cum sub delirii impetu fugam capesserint, et nivem inter, et glaciem manserint, dein sibi compotes, ac fere sani domum petierunt. Nec inconsuetum est, dum sub rigida hyeme nosocomia militaria de loco in locum transferuntur, aegros typho laborantes melius se habere.

Adspersio frigida.

8. Nil igitur mirum, si vel ab antiquissimis temporibus *frigus* in auxilium adversus febres typhodes deductum fuerit, testantibus jam CAELIO AURELIANO (48), GALENO (49), PAULO AEGINETA (50). In ipsa peste frictiones ope glaciei proposuerunt BARTHOLINUS (51), et SAMOILOWICZ (52), atque ad hoc remedium in febribus typhodibus acutis jam dudum confugerunt medici Neapolitani, et inter hos, magni quondam in-

(47) Inter gradum scilicet decimum quartum thermometri Reaum.

(48) Acutor. morb. L. II. cap. 38.

(49) Comm. IV. in lib. HIPP. de acut. morb. victu, Sect. IV. art. 12.

(50) De re medica lib. II. cap. 30.

(51) De usu nivis medico c. 13.

(52) *Lettre sur les expériences des frictions glaciales dans la peste. Strasbourg* 1781.

genii vir, Cirillus (53). Aquae frigidae usus eodem in morbo familiaris erat egregiis Hahen (54) et Theden (55). Maxime autem eundem propagarunt cl. Will. Wright (56), et J. Currie (57), quorum exempla secuti sunt, ne de me ipso loquar (58), Gregory (59), cl. Hall (60), Dimsdale (61), Giannini (62), aliique. Ac revera pretiosum in typhodibus febribus remedium sistit *adspersio*, vel *lotio aegrorum ope aquae frigidae* (63), dummodo rerum po-

(53) Vid. Phil. Transact. Vol. XXXVI. Not. 410.

(54) In Actis physico-medicis Naturae Curiosorum. Vol. X. pag. 63.

(55) *Neue Erfanrungen zur Bereicherung der Wundarzneykunst und Arzneygelahrtheit.* 1. Thl. S. 137.

(56) Cons. *London medical journal for the Year* 1786.

(57) *Medical Reports on the effects of Water, cold and warm, as a remedy in fever etc. Liverpool* 1804. Edit. 3.

(58) *Reise nach Paris, London etz.* 2. Th. p. 290.

(59) Vid. Wright's *lettre to* Dr. Garthshore *in the* Vol. VII. *of the medical facts and observations.*

(60) Cons. *Medical Commentaries for the year* 1795. *Coll. by* Duncan. *Edinburgh* 1795. Dec. II. Vol. X. Etiam in *Samml. auserl. Abhandl. fur prakt. Aerzte.* 17 B. 1 St. S. 36.

(61) *State of the institution for the cure and prevention of contagious fever in the Metropolis* 1803.

(62) Op. cit. (§. XVII. Not. 18.)

(63) *Adspersio* sequenti modo instituitur. Posito aegro foris lectum, eoque denudato, amphora aquae frigidae, tempe-

sitiones sub quibus haec methodus indicatur, rite perpendantur. Primum quippe observare juvat, remedium, de quo sermo est, longe frequentius in regionibus calidis, quam in frigidis, saepiusve aestate, quam hyeme locum sibi vindicare. Circumstantiae, quae illius usum expostulant, sunt recens morbi origo, e. c. a prima ad quintam morbi diem, calor cutis urens, sensus internus caloris, pulsus plenus irritatus, facies accensa, oculi scintillantes, proclivitas ad soporem, vel ad epistaxin. Adspersio, aut lotio secunda, vel tertia quaque hora repeti debet, donec symptomata enarrata remittant, vel evanescant. Nonnunquam, peracta una alterave adspersione, aut lotione, lenis sudor succedit, tuncque desistere oportet. In genere adhibita hac methodo morbi vis infringitur, ita ut dein leniter curriculum suum absolvat, quod saepe solito brevius observatur. Peticularum praesentia adspersioni, vel lotioni non obstat. Idem de symptomatibus catarrhalibus fertur (64), cui tamen sententiae, si hujusmodi symptomata cum magna vi, et pectoris dolore saeviant, haud

raturae scilicet profundi putei, super eum ex alto effunditur. Peracta adspersione aeger linteis citissime abstergitur, lectuloque iterum committitur. *Lotio* ope spongiae aqua imbutae perficitur.

(64) Hall l. c.

subscribimus. Observavimus etenim ex hac methodo praepostere hic adhibita transitum morbi in lethalem peripneumoniam. Omnino vero ab aspersione, vel lotione frigida abstinendum, dum ipse aeger sensum internum frigoris percipit, dum cutis sudore madet, vel complicatio rheumatica praesto est.

Cubiculum. Lectus.

9. *Conclave* pro aegro amplum requiri, jam monuimus (65); addendum, quod parietes illius nequaquam picturis ornatae esse debent, utpote quae aegri imaginationem usque ad delirium excitare solent. Lux nimia, inprimis radii solares, aegrum afficientes sunt vitandi; capitis enim dolorem augent, et visui obsunt. Ast nec perfecta conducit obscuritas, vidimusque aegros, quorum mens ab ea perturbabatur, quique mox facta majori luce delirare cessabant. — « Aegri ipsius judicio committi potest, modo mens constiterit, surgat, an in lecto se contineat ». Ita egregius HEBERDEN (66). Verum huic sententiae non adhaeremus; supinus enim decubitus graviter febricitantibus maxime conducit, atque utplurimum remissionem symptomatum affert. *Lectus* vero ut amplus sit, oportet, ita ut ae-

(65) Num. 7. p. 298.

(66) Op. cit. p. 136.

ger commode in eo sese undique circumagere possit. Optime porro patiens recreatur, dum illi duo lectuli inserviunt, quorum in uno primam, in altero secundam nychthemeri partem transigat. Culcitras plumeas sejicimus, quoniam aegros nimis calefaciunt, atque puritati obstant; imo et iis ex crinibus confectis, nisi saepe renoventur, stramineas praeferimus. Multum autem interest, ut et stramen saepe mutetur. Idem de linteis intelligi debere per se patet. Sunto ea subtilia, ne decubitum promoveant. Conopeum nocet renovationem aëris impediendo. Matulae structurae partium genitalium utriusque sexus accommodatae, magnum offerunt commodum, eo quod aeger, quin exsurgat, mingere potest. Ita et vas, quod natibus submittitur, ad faeces excipiendas. Removeto véro illico sordes, et munditiei studeto, quousque id fieri potest.

Potus.

10. *Aqua frigidiuscula*, quin imo interdum *frigida* (67) optimum sistit potum in febre typhode recenti, dummodo symptomata catarrhalia non nimis urgeant. Absente diarrhoea, et tussi juvat, *succum vegetabilem saccharo edulcoratum*, e. c. citri sive medicae, sive aurantii,

(67) Ita Galenus, Aretaeus, Celsus l. c.

mali punicae granati, baccarum berberis vulgaris, rubi idaei, vaccinii occycocci etc. addere. Pauperibus aqua mulsa, addito aceto; in Rossia *kaws* (68). Praesente diarrhoea, vel tussi et faucium rubore, potus longe alius eligendus, c. c. decoctum hordei distichi, furfurum, oryzae sativae, rasurae cornu cervi elaphi, panis biscocti, emulsio tenuis amygdalina, et similia. Decrescentibus magis magisque viribus, sedatoque caloris, et pulsuum impetu, *tenuis cerevisia* potum prae ceteris in hoc morbo egregium constituit; at cavendum, ne forte praesens diarrhoea, vel meteorismus augeatur. *Vino*, cujus laudes in typho jam antiquitas cecinit (69), quodque vel hodiedum pro sacra anchora in eo a multis habetur (70), vino, inquam, raro ab initio morbi utendum, nisi symptomata praesto sint illius usum in genere postulantia. Sunt autem hujusmodi symptomata: virium maximus languor, animi exiguitas, et tristitia, vox flebilis, pulsus mollis, horror a pharmacis, praecipuo vero sudor copiosus, vi-

(68) Est potus fermentatus, qui ex farina secalis conficitur.

(69) Aretaeus de curand. morb. acut. lib. II. cap. 3.

(70) Duce Huxhamo (op. P. I. p. 329. Item P. II. p. 20. 119.), Tode *Med. chir. Bibliothek.* 3 B. 2 St. S. 20. Weikard *vermischte Schriften.* 2 St. S. 224. nec non singuli Brunonis asseclae.

scidus, inprimis cum cute subfrigida. Nocet autem vinum, dum pulsus cum duritie micat, dum facies accensa est, dum pectoris affectio urget, dum haemorrhagiae cum impetu contingunt, dumque post illius usum sitis, vel alia symptomata ingravescunt. Dum vinum exhibendi indicationibus satisfacias, respice etiam ad consuetudinem, et facultates aegrorum. In nosocomiis nube vinum pharmacis, nam alias facile ad aegros usque non pervenit. Porro, praesertim in regionibus septentrionalibus, cavendum, ne vinum adulteratum sit. Quod ad speciem vini attinet, in typho ea praesertim utilia inveniuntur, quae gaz acido carbonico abundant, e. c. vinum Gallicum Campaniae, vel quod tantillum aciditatis possidet, e. g. vinum Rhenanum, Mosellanum, Franconiae, Austriae, dummodo nec nimis recens, nec valde antiquum. At ubi revera desideratur vinum pro viribus potenter recreandis, quod simul praeter modum non calefaciat, illud Burgundiae, vel et Burdegalense, ceteris omnibus palmam arripit. Vina Lusitaniae, Hispaniae, Cypri, et Hungariae, nisi omnino adsuetis, et cautissime porrecta, raro in febribus typhodibus conducunt. Vina artefacta, dum consulto praescribuntur (71), cavendum, ne liquor fermentatus pomo-

(71) Pharmac. Ruthena p. 386.

rum (cyder) alvum aegrorum forte ad diarrhoeam praedispositorum intempestive moveat. Adsuetis, vini loco, crematum, taphia, vel aether sulphuricus alcoholisatus, aqua multa diluta exhiberi possunt. Potum ex *fabis coffeae arabicae* hic damnare quidem non audemus; at non reticendum, nos in quibusdam aegris febre typhode acuta laborantibus, magnum morbi augmentum inde secutum observasse. Tutissime vero conceditur senescente jam aegritudine *infusum theae viridis*. In febre typhode acuta, cujus curriculum praeter modum protrahitur, non secus ac in ea specie, quam lentam appellamus, dummodo diarrhoea absit, *lac vaccinum* tepide haustum, addito pauxillo corticis, aut aquae destillatae lauri cinnamomi, admodum confert. Petente aegro hic et *cocholata* permitti potest.

Cibi.

11. Hypotheses variarum scholarum magnum influxum in delectu *ciborum* in febribus typhodibus exercuerunt, et, ut de recentioribus solum loquar, nunc eos ex regno vegetabili ad putredinem tollendam, nunc ex animali ad vires recreandas designarunt. Fateri et hic oportet, HIPPOCRATEM optima docuisse (72). In-

(72) Liber Aphorismorum. Sect. I. Not. 4. 5. 7. -- 11.

gruente igitur febre typhode abstineat aeger a cibo quocumque; nam potus sufficiens plerumque praebet nutrimentum, nisi forte ex inedia in morbum inciderit, atque valde extenuatus sit. Interea non nocent juscula aquea ex hordeo, oryza, avena, superaddito tantillo butyri, et salis. Fructus quoque recentes, dummodo diarrhoeae periculum non immineat, concedi queunt. Nil vero pejus sub initio morbi carne, et jusculis ex ea paratis: augent nempe calorem, et linguae sorditiem, ac varia ventriculi incommoda producunt. Longe vero aliter res se habet senescente morbo, praesertim in febre typhode lenta, sub virium vitalium continuo decremento, sub sudore copioso, frigido, viscidoque, post praegressas evacuationes copiosas, verbo, ubi tota corporis conditio inanitionem exhibet. Tunc enim nil magis aegrum recreat, ejusdemque vires attollit, quam juscula carnea adipe carentia, aromatibus condita, tum simplicia, tum cum oryza, hordeo, avena decocta, omni tertia, sive quarta hora, diu, noctuque, calide ad uncias duas, tresve porrecta. Jusculis carneis et vitellum ovorum superaddi potest, quod alias cum vino, et cerevisia, vel cum ipsa aqua, et tantillo taphiae, et sacchari, refocillantem aegrorum hujusmodi cibum constituit.

Aliud victus genus ad convalescentiam usque supervacaneum, quin imo nocivum, existimamus.

Animus.

12. *Animum* aegrotis addere, in febribus typhodibus curandis maximi est momenti. Esto igitur facies medici serena, fiduciam, et securitatem concilians. Multum porro interest, ut aeger, saltem si animo compos sit, nec videat ingrata objecta, nec de iis audiat loqui. Contrarium de contrariis. Tandem ad caussas morbum excitantes, praecipue ad nostalgiam, amorem, spem frustratam respiciendum, et probe retinendum, consolationem, bonamque operam saepe plus efficere, quam cetera omnia exquisitissima pharmaca. Verum cave etiam a repentina, fortiorique, licet grata. animi commotione. Postremo quies, et parvus adstantium numerus requiruntur. Hi caveant vero, ne aegro timorem suscipiendi contagii portendant. De effectibus *musicae* in febribus typhodibus, praesertim nimia nervorum sensibilitate comitatis, miracula narrantur (73), quod revera haud mirum videri potest iis, qui influxum musices in sensus noscunt: dolendum solum, hoc auxilii genus parum in usu esse, ideoque medicum, illud forte sine successu praescri-

(73) Reil's *Fieberlehre* IV. B. p. 181.

bentem, facile vulgi risui occasionem posse porrigere.

Methodus expectatrix.

13. Regimen hucusque descriptum adversus febres typhodes simplices, praecipue acutas, saepe sufficere, ita ut pharmacis vix aut ne vix quidem opus sit, experientia testatur. Morbus enim, de quo agitur, ita plerumque constitutus est, ut irritis omnibus pharmacis curriculum suum absolvere debeat, quamobrem dum id secundum morbi indolem contingit, non est cur aeger pharmacis obruatur, de quo argumento egregie jam egit Ill. Fr. Hoffmann (74). At hoc non impedit, quominus ad symptomata lenienda, morbique impetum temperandum pro re nata ad varia pharmaca confugere liceat eo saltem modo, ut ab initio quasi ad explorandam indolem morbi adhibeantur, et denique, si revera conducant, largiori manu porrigantur. Demum et pharmacis ad temperandam aegrorum, et affinium impatientiam saepe utendum; nec desiderantur postremo casus, ubi ex multifariis in typhodibus febribus commendatis medicamentis unum alterumve cum magno aegrorum levamine eligi potest. Nulla sane universalis regula

(74) Dissert. de natura optima febrium malignarum medicatrice.

hic statui licet, ac omnia pendent tum a constitutione epidemica, tum a peculiari aegrorum natura, tum ab aliis rerum positionibus ad infinitum variis. Rejectis igitur quibuscumque hypothesibus, vulgatiora adversus febres typhodes pharmaca ad trutinam revocabimus, enucleando circumstantias, sub quibus vel juvant, vel nocent, atque non reticendo cautelas ad eorum administrationem spectantes.

Nitrum.

14. *Nitras potassae* ingruente morbo egregium sistit remedium, sub magno aestu febrili, pulsu irritato, proclivitate ad epistaxin, oculis splendentibus, siti, urina ignea, pauca, praecipue in juvenibus, et infantibus. Obstat illi diarrhoea, cum aegri damno contingens. Exhibetur nychthemeri curriculo a drachma una ad duas cum melle, et aqua sive simplici (75), sive rubi idaei (76), aut, si symptomata catarrhalia urgeant, cum decocto radicis althaeae officinalis (77), atque in illius usu continuatur, donec

(75) R. Mellis puri uncias tres: nitratis potassae drachmam unam et semis: aquae communis libras tres. M. Cap. omni secunda hora vascul. unum.

(76) §. XXX. 5. (**)

(77) R. Radicis althaeae officinalis unciam semis. Coque c. s. q. aquae per quartam horae partem. Col. librae unius adde nitratis potassae drachmam unam: syrupi altheae unciam unam.

allata signa evanescant, aut morbus in pejus ruat.

Acida.

15. Declarata magis magisque febris typhodis indole, florentibus peticulis, sub calore urente, lingua sicca, siti, haemorrhagiis, vel sudoribus immaturis, *acidum sulphuricum* indicatur (78), nisi praesto sint faucium, pectorisque affectio, diarrhoea, ventriculi sensibilitas, vel abdominis cruciatus. Si praeter rerum conditiones, quae acidum sulphuricum exposcunt, conspicuus jam languor cum pulsu molli observatur, tunc *acidum sulphuricum alcoholisatum* (79). Praesentibus vix recensitis symptomatibus, quin calor urens adsit, *tinctura acida sulphurica aromatica* (80). *Acido nitrico* (81) sub iisdem prorsus circumstantiis locus est, sub quibus acidum sulphuricum commendavimus. Arripit huic palmam vigente simul et

(78) R. Aquac fontis libras duas: acidi vitriolici tenuis, syrupi violarum q. s. ad gratum saporem.

(79) R. Aquae fontis libras duas: elixirii acidi Halleri, syrupi rubi idaei q. s. ad gratum saporem.

(80) R. Elixirii vitrioli Mynsichti scrupulos duos: aquae destillatae nucleorum pruni cerasi uncias septem: syrupi unciam unam. S. omni bihor. cochl. duo majora.

(81) R. Aquae fontis libras duas: acidi nitrici tenuis, syrupi violarum q. s. ad gratum saporem.

ictero, dummodo sine regionis epigastricae ardore. Ad *acidum muriaticum oxygenatum* (82) semel in morbo hoc fere conclamato utiliter confugimus, atque interdum profuit, adventante in typho gangraena spontanea. Ceterum acidum hujusmodi typho incipienti non videtur accommodatum.

Digitalis.

16. Dum signa acidum sulphuricum postulantia vigent, sed remedium hujusmodi a faucium, pectorisque affectione, vel a diarrhoea contraindicatur, *folia digitalis purpureae* (83) illius vices agere queunt, inprimis ad haemorrhagias, et systematis vasorum sanguiferorum tumultum compescendum. Connubium digitalis cum nitrate potassae saepe utile (84), imo et primam illam alternatim cum ipso acido sulphurico cum fructu porreximus (85), ut hae-

(82) R. Acidi muriatici oxygenati drachmam unam. Diluatur c. s. q. aquae fontis, et adde syrupis simplicis s. q. etc. D. ad vitrum bene clausum.

(83) R. Foliorum digitalis purpureae: radicis orchidis morionis (salep) aa. scrupulum unum. Coq. c. s. q. aquae etc. colat. librae unius. Dr. Sr. omni bihor. vasculum semis.

(84) Adde decocto notae proxime antecedentis nitratis potassae scrupulos duos.

(85) R. Fol. digitalis purpureae granum unum: sacchari grana decem. M. f. Pulvis. Cap. omni secunda hora pulverem alternatim cum medicamento Not. 78.

morrhagiis maximis in typho frenum injiceretur.

Arnica. Valeriana. Angelica. Serpentaria etc.

17. Si vero debitum regimen, atque pharmaca hucusque recensita, febres typhodes ab eo vehementiae gradu, sub quo sensorium commune graviter laeditur, antevertere haud potuerint, duo praestantissima sese offerunt remedia, scilicet *flores, et radix arnicae montanae,* et *radix valerianae* sive *officinalis*, sive *phu. Arnica*, cujus laudes omni jure celebrarunt Collin (86), et Stoll (87), exhibetur potissimum sub torpore systematis nervosi; igitur vigente sopore, stupiditate, auditu gravi, vel etiam fracto sphyncterum officio. Si forte alvi profluvium adesset, loco *decocti florum* (88), illud *radicis* (89) propinatur. *Radicis valerianae* e contra *infusum* (90) praecipue conducit,

(86) De arnicae in febribus, ac aliis morbis putridis viribus etc. Vindob. 1775. 8.

(87) Ratio medendi T. III. p. 165.

(88) R. Florum arnicae drachmas duas. Coque etc. ad colat. librae unius. Adde Syrupi corticis cinnamoni unciam unam. Pro pauperibus simul arnica cum floribus matricariae chamomillae infunduntur, seposito omni syrupo.

(89) Eodem pacto praescribitur, uti decoctum florum.

(90) R. Radicis valerianae drachmas tres. Infunde c. s. q. aquae fontis fervidae per dimidiam horam. Colat. librae unius. Dr.

sub sensibilitate aucta systematis nervosi, unde vigente delirio cum facie pallida, urina aquosa, pulsu debili, et tendinum subsultibus. Dum symptomatum quasi complicatio usum tum arnicae, tum valerianae exposcere videtur, nil tali connubio (91) obstat. Alias, in minori nempe morbi gradu, medium quasi inter ea tenet *radix angelicae archangelicae* (92), aut in majori *radix aristolochiae serpentariae* (93), cujus vices quodammodo agit *radix acori calami* (94).

Vesicatoria. Sinapismi.

18. Sub recensita rerum positione utiliter et *vesicatoria*, et *sinapismi* in usum ducuntur, praecipue si quod rheumatici lateat. Admoventur plerumque in viciniis locorum magis affectorum, e. c. nuchae sub delirio, pectori vigente tussi, abdomini ob diarrhoeam, cui usui

(91) R. Florum arnicae, radicis valerianae aa drachmam unam et semis. Infunde etc.

(92) R. Radicis angelicae drachmas tres. Infunde etc. ad col. librae unius.

(93) R. Radicis serpentariae virginianae drachmas duas. Infunde c. s. q. aquae fontis fervidae per dimidiam horam. Colat. unciarum novem adde syrupi corticum aurantiorum unciam unam. M. D. S. Omni secunda hora vasculum semis.

(94) R. Radicis calami aromatici drachmas tres. Infunde etc. ad colat. librae unius.

et nos assentimur. Attamen vesicatoriis, et sinapismis nuchae appositis haud favemus, si delirium cum facie rubra et magno sanguinis impetu caput versus occurrat, quo in casu indicata ceterum localia irritamenta longe melius ad suras, et ad internam superficiem crurum conducunt. Cave autem ab usu vesicatoriorum sub morbi invasione, praecipue praesentibus viarium urinalium incommodis, nec non in hominibus systemate praeter modum excitabili praeditis, ac sequere hac in re egregia consilia Baglivii (95), Huxhami (96) et Trallesii (97). Vesicatoria porro ut *rubefacientia* tantum applicari debent, et si fortuito vesicam produxerint, haec illico aperienda, ulcusque sine mora ope unguenti saturnini ad sanationem perducendum, alias facile gangraena, vel saltem taedula suppuratio. Ne apposita vesicatoria oblivioni tradantur, aut negligantur! Ad pericula ex hoc impedienda, medicus ut quotidie statum vesicatoriorum *ipse* examinet, opus est. Gossypium *tinctura Lyttae vesicatoriae* (98) imbutum, ac cuti impositum, vesicatorii ad instar

(95) Op. cit. (§. IX. 2.) De usu, et abusu vesicantium. p. 641.

(96) Op. cit. (§. IX. 3.) Lib. de febribus. Cap. VIII. p. 115.

(97) Usus vesicantium salubris, et noxius. Vratisl. 1782. 4.

(98) Tinctura cantharidum.

agit. Ita *aqua fervida* (99). Sinapismi sub iisdem circumstantiis usurpantur, aeque ac vesicatoria; palmam tamen illi his arripiunt, dum vitium viarum urinalium viget, dum diuturnior actio remedii desideratur, dumque vesicatoriorum usus, saepe nimis repetitus, periculum portendit.

Camphora.

19. Magna virium prostratio cum pulsu debili, molli, diffluente, et aequali, cum extremitatibus subfrigidis, sudore viscido coopertis, cum facie lurida, peticulisque lividis *camphoram* exigit. Ab ea vero abstinendum, si sub illius usu facies praeter modum accendatur, si pulsus crebrior, calorque cutis fortior quam par est, evadant, si sapor et sitis augeantur, et haec symptomata diu persistant, nec epota limonata, vel emulsione amygdalina tenui, cessent. Optime pro camphora nostro in morbo indicationes statuerunt Ill. Fr. Hoffmann (100), Collin (1), Quarin (2) et Cera (3). Discre-

(99) Callisen *Von dem Gebrauch des kochenden Wassers als eines blasenziehenden Mittels. Samml. auserl. Abhandl. zur prakt. Aerzte.* 21 B. 2 St. S. 40.

(100) Op.

(1) Ej. tractatus de camphora, sive observationum circa morbos acutos, et chronicos factarum. P. III.

(2) L. c. p. 69.

(3) L. c. p. 53.

pant vero relate ad dosin. Ad nos quod spectat, camphoram plerumque a grano uno ad grana quatuor, quin imo ad sex, secunda quaque hora exhibemus, tum sub forma pulveris (4), tum sub ea emulsionis (5). Si aeger camphoram respuat, ea ope *clysteris* (6) suppeditanda.

Moschus.

20. *Moschum*, si bonae indolis haberi queat, sique aegrorum facultates pro acquirendo tam pretioso remedio sufficiant, sique odor illius non ingratus sit, in febribus typhodibus adhibemus, praesentibus subsultibus tendinum, tremoribus, delirio cum facie pallida, urina clara, cum pulsu parvo, contracto, et duriusculo, quibus in casibus remedium hujusmodi et ab Huxhamo (7), Quarino (8) aliisque commen-

(4) R. Camphorae granum unum: sacchari albi grana decem. M. f. Pulvis.

(5) R. Camphorae asae grana duodecim: mucilaginis gummi mimosae niloticae unciam unam: emulsionis tenuis saccharatae amygdalarum dulcium libram unam. Pauperibus. R. Seminum lini usitatissimi drachmas duas. Coq. c. s. q. aquae fontis per dimidiam horam. In colat. librae unius solve camphorae rasae grana duodecim.

(6) Camphorae rasae drachmam semis. Subige in mucilagine: adde infusi florum matricariae chamomillae uncias sex. D. S. pro uno clystere.

(7) L. c. cap. VII. p. 86.

(8) L. c. p. 69. 70.

datur. Praecipue aetati infantili, et juvenili moschum accommodatum invenimus. Porrigitur in genere ad grana sex secunda quaque hora (9). *Moschum* sic dictum *artificialem* vix unquam adhibuimus.

Assa foetida.

21. Moschi vices plerumque *gummi resina ferulae assae foetidae* gerit, praxi nosocomiali, pauperumque usui magis idoneum remedium. Propinatur hinc sub iisdem rerum positionibus, sub forma sive tincturae (10), sive emulsionis (11), aut si aeger medicamentum respuat, sub ea clysterum (12).

(9) R. Moschi grana duodecim: mucilaginis seminum pyri cidoniae drachmas duas: aquae destillatae florum citri aurantii uncias quatuor: syrupi corticis lauri cinnamomi unciam semis. M. -- Vel R. Moschi granum unum: sacchari albi grana decem. M. f. Pulvis.

(10) R. Aquae destillatae ruthae graveolentis uncias sex: tincturae assae foetidae drachmas duas. M. D. S. Omni hora cochleare unum.

(11) R. Assae foetidae drachmam semis: mucilaginis gummi mimosae niloticae unciam unam. M. et affunde emulsionis amygdalarum dulcium uncias decem.

(12) R. Assae foetidae drachmam unam: vitelli ovorum num. unum. Subige, et affunde infusi florum matricariae chamomillae uncias sex. D. S. pro clystere.

Castoreum.

22. Et *tinctura castorei rossici* quodammodo loco moschi exhiberi potest, licet virtute longe debiliori polleat. Dosis a drachma una ad drachmas tres spatio nychthemeri (13). Optime interdum connubium hujus remedii cum tinctura croci orientalis (14) in febribus typhodibus lentis nobis conduxit.

Spiritus cornu cervi.

23. Extrema virium dejectio, pulsus tremulus, intermittens, sed mollis, omni jure, animadvertentibus Ill. PRINGLE (15), MORTON (16), MONRO (17), QUARIN (18), J. P. FRANK (19), *liquorem subcarbonatis ammoniae empyreumaticae* indicant, quod egregium remedium spatio nychthemeri a drachma una ad semunciam praescribi licet (20).

(13) R. Aquae destillatae, vel infusi florum matricariae chamomillae uncias quatuor: tincturae castorei drachmam unam. M.

(14) R. Aquae destillatae herbae melissae officinalis uncias quinque: tincturae croci drachmam semis: tincturae castorei drachmam unam. M.

(15) Op. cit.

(16) L. c. Vol. I. p. 267.

(17) Praelect. Medic. ex cl. Inst. p. 267.

(18) L. c.

(19) Epitome lib. I. p. 132.

(20) R. Spiritus cornu cervi drachmam unam: aquae destil-

Aether.

24. *Aetherem sulphuricum*, aut alium praecipue indicatum credimus sub vitae imminenti periculo, apparente lipothymia, vel pulsu exili, filiformi, irregulari, fere deficiente, delirio cum facie pallida, et urina aquosa. Dosis carbonatis ammoniae adinstar (21), cui saepe jungitur (22). Oportet autem aetherem parvis intervallis porrigere, omni quarta scilicet, vel dimidia horae parte. Vel in leviori febre typhode apud hystericas, et alios nervis praeter modum sensibilibus instructos, *aether nitricus alcoholisatus* (23) saepe prodest.

Opium.

25. TRALLESII (24), HUXHAMI (25), et propriae experientiae innixi, *opium* indoli diathe-

latae menthae crispae uncias quatuor. M. D. S. Omni hora cochlearia duo majora.

(21) R. Aetheris sulphurici drachmam unam: aquae menthae piperitae uncias quatuor. M. D. S. Omni dimidia hora cochleare unum majus.

(22) R. Aether. sulphurici, spiritus cornu cervi ad drachmam unam: aquae menthae crispae uncias septem. M. D.

(23) R. Aquae nucleorum pruni cerasi uncias sex: spiritus nitri dulcis scrupulum unum: syrupi alkermes unciam semis.

(24) Usus opii. Vol. II. p. 212. seq.

(25) Lib. de febribus cap. VII. p. 84.

seos typhodis minime quadrare declaramus, atque sane millenorum civium mors praematura usui hujus remedii in typho tribuenda. Interea tamen praesto sunt vel hoc in morbo circumstantiae, sub quibus opium magni facimus. Confert enim interdum ad varia symptomata lenienda, de qua re infra.

Phosphorus.

26. Conclamato fere morbo, extremitatibus subfrigidis, pulsu imperceptibili, singultu, deglutitione impedita, sopore, stertore, sudore viscido etc. *phosphorum* utiliter adhibitum fuisse, ferunt (26). At nullam nos relate ad hoc remedium experientiam habere fateamur oportet. Maximas sane cautelas illius usus exposcit. (27).

Frictiones.

27. Sub vitae periculo imminenti conducunt hic nonnunquam *frictiones* totius corporis, praecipue columnae vertebralis, ope vini calidi, aut alcoholis camphorati susceptae. Ad hanc tamen methodum, nisi omnino cogamur, non confu-

(26) Burdach (*die neuest. Entdek. in der Heilmittellehre.*) p. 292. Bouttatz *uber den Phospor als Arzneymitt. Gott.* 1800. 8. Leroi *expér. et observat. sur l'emploi du phospore à l'intérieur*, in *Magaz. encyclep.* an VI. n. 122. p. 155.

(27) R. Phosphori grana quatuor. Solve in uncia dimidia aetheris sulphurici. D. S. Omni dimidia hora viginti guttae.

gimus, ob refrigerii periculum, et ingratum praecipue alcoholis camphorati odorem, non solum aegrotis, sed et adstantibus molestum.

Cinchonae.

28. De usu *corticis cinchonae officinalis* in febribus typhodibus hucusque consulto nullam fecimus mentionem; excepta enim febre typhode lenta, in *legitimis* febribus continuis, etiamsi conspicuis remissionibus stipatis, nisi jam ad convalescentiam perductis, aut declinante saltem, aut gangraena instructo morbo, hoc remedium utplurimum nil juvat, saepe nocet. Testantur id praeter nostram experientiam BAGLIVIUS (28), MORTON (29), J. P. FRANK (30), aliique multi, atque vehementer miramur, egregium HEBERDEN (31) aliter sensisse. Porrecto enim cortice sub initio, incremento, vel acme febrium typhodum, sive acutissimarum, sive acutarum, utplurimum anxietas, respirandi difficultas, tussis, linguae siccitas in conspectum veniunt. In febre typhode lenta usus cinchonae, sub forma scilicet decocti (32), locum habere potest, se-

(28) De praxi med. lib. I. cap. 9. de febribus malignis pag. m. 58.

(29) Pyretologia Exerc. I. c. 8.

(30) L. c. p. 132.

(31) L. c. p. 137.

(32) §. XXX. 18. Not. 93.

nescente morbo, post praegressas evacuationes colliquativas, primis viis non admodum perturbatis, pectore libero, et pulsu molli, debilique.

Mercurius.

29. *Hydrargyri* vires potissimum ea in febre typhode tentari merentur, quae cum hepatis affectione, vel cum inflammationibus occurrit. Adhibetur tunc pro re nata unguentum sub-oxydi hydrargyri (33), vel murias hydrargyri (34). Ceterum mercurium diathesi typhodi haud accommodatum esse, existimamus.

Observatio.

30. Quamvis haud libenter plurima remedia jungamus, ac, quoadusque fieri potest, simplicitati studeamus, attamen non raro in cura febrium typhodum occasio nobis sese offert nonnulla remedia inter se copulandi. Sic pro re nata, saepe decoctum florum, vel radicis arnicae montanae, aut infusum radicis valerianae, alternatim cum camphora, vel moscho porrigimus, aut primis illis liquorem subcarbonatis ammoniae empyreumaticum, vel aetherem sulphuricum superaddimus, dum scilicet tanta est vis morbi, tantaque symptomatum complicatio, ut

(33) Unguentum mercuriale.

(34) Calomel. Mercurius dulcis.

uni remedio fidere arduum videri posset. Nec semper ad pharmaca potentiora tunc tantum confugiendum esse existimamus, dum symptomata, quae illorum usum exposcunt, jam acmen attigerunt; interdum enim iis, ocyus adhibita medela, occurrere possumus, quae omnia solum nota, cognitaque annua, vel epidemica febrium typhodum indole, determinari queunt. Apparet ex hoc, quam arduum sit febrium hujusmodi genus rite pertractare, atque ita vel in *simplici* morbo, longe autem difficilius adhuc in complicato.

Complicatio inflammatoria.

31. Regimen refrigerans, et usus nitratis potassae satis plerumque *complicationi inflammatoriae* febrium typhodum medentur, ita ut a *venae sectione* diathesi typhodi admodum adversa, plerumque abstinere liceat. Non desunt tamen exempla, ubi tanta observatur complicationis inflammatoriae vis, ut sanguinis missio omnino necessaria evadat, et quidem tum in principio morbi, tum sub illius curriculo. Sapienter PETRUS a CASTRO ait: « est enim haec operatio tanti momenti, ut, illa neglecta, vix faustum eventum in hac febre vobis liceat sperare (35) » Ita egregius nosocomii magni, quod

(35) A Castro. Op. cit. (§. XLVIII. 2. Not. 46. §. 8.)

Mediolani est, medicus primarius, cl. CERA, de febre nosocomiali tractans: « in pessimis, ait, circumstantiis venae sectio visa fuit aliquam, et insignem praestantiam habuisse. Gravissimis symptomatibus aegrotantes isti detinebantur, morbo jam adulto, ac praesertim comate somnolento, dirisque convulsionibus, omniaque incassum purgantia, antiseptiea, revellentia, chirurgica, ac pharmaceutica adhibita fuerant. Res certe eo erat deducta, ut satius esset anceps, quam nullum adhibere remedium. Ter audacter e jugulari septem, vel octo cruoris unciis detractis, mirum in modum sopor, convulsio, aliaque symptomata brevi remiserunt, aegri ab orci faucibus, ut ajunt, erepti sunt (36). » Similiter cl. REIL (37), HUFELAND (38) et J. P. FRANK (39), ne de veteribus medicis (40) sermonem instituam. Venae sectionis necessitas vel in ipsa peste indolis inflammatoriae detecta est (41). Idem de febre flava Americanorum

(36) CERA op. cit.

(37) Memorab. clinic. Fasc. IV. p. 191.

(38) Op. cit. (§. IX. 10.) 2 B. 1 Abth. p. 74.

(39) L. c. p. 137.

(40) HIPPOCRATES de acut. morb. victu. Sect. IV. art. 17. GALEN. Introduct. seu med. cap. 13.

(41) SYDENHAMI opera universa L. B. 1741. 8. p. 128. et aliquoties ante y. c. p. 122. 123. 124. Dubitat tamen SYDE-

valet (42). Clima, et indoles epidemiae regnantis hic praecipue consulenda. In genere neminem cum majori evidentia indolem inflammatoriam febrium typhodum, necessitatemque venae sectionis, inprimis in regionibus calidis, patefecisse opinor, egregio MOSELEY (43). Debet vero haec operatio hisce in febribus non aliter institui, quam in praesentia medici pulsuum vim explorantis. Nisi omnino indicata venae sectione ad *hirudines* confugiendum, quarum duodecim ad tempora, et retro aures, sub delirio cum facie rubra, oculis splendentibus, et pulsu irritato, egregie agere solent. Ita et *cucurbitulae scarificantes* pectori admotae, apparentibus in febre typhode symptomatibus peripneumoniae cum indiciis inflammatoriis, quo in casu vel ad ipsam venae sectionem utiliter recurritur (44).

Complicatio rheumatica.

32. In *febre typhode rheumatica* incipiente

NHAMUS p. 123, an illi morbo dirissimo pestis nomen imponi queat.

(42) IMM. GLI. KNEBEL'C *Versuch uber den Charackt einiger Erschein. und die Heilart des gelben Fleb. Gorlitz* 1805. 8. p. 165 -- 171, ubi indicantia, et contraindicantia venaesectionem adferuntur. Etiam RUSH.

(43) Op. cit. p. 445.

(44) JOS. FRANK'S *Reise etc.* 2. B. p. 253.

iterum ad *nitratem potassae* confugiendum; nil enim magis hic nocet, quam diapnoica praepostere adhibita, nisi indicatis sub circumstantiis (45). In provectiori morbo *antimonium*, praecipue *tartras stibii*, *et potassae*, vel *vinum sic dictum antimonii* Huxhami (46). Ita *liquor acetatis ammoniae* (47). Si diarrhoea detrimentum afferens praesto esset, loco illorum *pulvis ipecacuanhae cum opio* (48). Sub conspicua jam virium dejectione, et aliis signis (49), *camphora*, et *vesicatoria*, vel in leviori malo *infusum radicis angelicae archangelicae* (50). Ipsa *balnea tepida* interdum, vigentibus magnis artuum doloribus, et cute sicca, in usum deduci possunt, dummodo vires aegrorum non nimis fractae sint.

Complicatio gastrica.

33. Praesente *complicatione gastrica reali*,

(45) Num. 4. p. 296.

(46) R. Aquae florum sambuci nigrae, vel tiliae europaeae uncias septem: tartratis stibii, et potassae granum unum, vel vini antimoniati Huxhami drachmas duas: roob, vel syrupi sambuci unciam. M. D. S. Omni biborio cochlearia duo majora.

(47) Cochleare majus omni secunda hora.

(48) Num. 4. p. 297. Not. 44.

(49) Num. 19. p. 316.

(50) Num. 17. p. 313.

emetico in febribus typhodibus locum esse, non est quod moneam, et hoc quidem praecipue ab initio morbi, licet et sub illius decursu, inprimis sub magna anxietate, et inquietudine (51). Verum non inconsiderate ad remedium, de quo agitur, deveniendum, atque nunquam obliviscendum, symptomata gastrica maxime fallacia esse (52). Non raro enim *status* potius *inflammatorius ventriculi*, vel saltem *magna hujus visceris irritabilitas* initium febrium typhodum comitatur, atque sese praecipue per ardorem, doloremque regionis epigastricae exerit, quo in casu emeticum pessimos producit effectus, cujus rei exemplum vel febris typhodes Daciae exhibet (53), saltem ab initio morbi. De quo argumento etiam cl. Moseley docte, ut solet, egit (54). Suademus hic potius remedia, quorum ope ventriculi turbae compescuntur. e. c. *decoctum radicis orchidis morionis* (55), *rasurae cornu cervi elaphi* (56),

(51) Morton l. c. p. 83. P. III.

(52) Vid. Cap. V. §. LX. 8.

(53) Minderer l. c. p. 25.

(54) Moseley l. c. p. 451.

(55) R. Radicis salep drachmam unam. Coq. e. s. q. aquae fontis ad colat. librae unius, et semis. Edulcoretur syrupo adianthi capillorum veneris. M.

(56) R. Rasurae cornu cervi unciam unam, et semis. Coq.

emulsio arabica (57) aliaque demulcentia, et involventia, nec excepta *gelatina animali* (58). circa indicationem emetici dubii haeremus, potest morbi indoles ope *tartratis stibii, et potassae*, refracta, ut dicunt, dosi porrectae (59), explorari. In genere huic remedio in febribus typhodibus gastricis multum tribuimus, et non raro illi soli totam morbi curam committimus. Possunt adhiberi et *pulpa tamarindi indicae* (60), et *supertartratis potassae* (61), et *serum lactis acetosum* (62), et *citras calcis, vel potassae* (63), et *infusum radicis rhei palmati*

c. s. q. aquae fontis ad colat. librae unius, et semis. Adde Syrupi citri medicae uncias duas. M.

(57) R. Mucilaginis gummi mimosae niloticae unciam unam: emulsionis amygdalinae dulcis libram unam. M.

(58) Minderer l. c. p. 38. sq.

(59) §. XXX. 10. p. 58.

(60) R. Pulpae tamarindorum uncias duas. Coque c. s. q. aquae. Colat. librae unius, et semis, adde syrupi simplicis uncias duas. M. S. Omni secunda hora vasculum unum. *Pauperibus pulpa prunorum.*

(61) R. Pulveris cremoris tartari unciam unam: sacchari albi uncias duas: aquae fontis fervidae libras duas. M.

(62) Pharmac. Ruth. p. 330.

(63) R. Pulveris oculorum cancrorum, vel subcarbonatis potassae drachmam unam. Saturetur c. s. q. succi mali medici recentis. Adde aquae rubi idaei uncias sex: syrupi citri unciam unam. M. D. S. Omni bihorio cochl. duo.

(64), etc. Cave autem a fortioribus purgantibus, praesertim in recentiori morbo. Quamvis enim maxima veterum pars purgantia e cura febrium, viventium hypothesium gratia, expulerit, ne scilicet crudi humores loco coctorum evacuentur, hujusmodi praxis tamen et experientiae innixa videtur, saltem respectu ad fortiora alvum ducentia remedia. Igitur non nisi cum magna restrictione expertissimo alias medico, cl. Hamilton (65), assentimur, qui singularum febrium typhodum curam purgantibus committendam esse existimat, et sane cl. Vir observationes peculiarium quarundam epidemiarum gastricarum ad totam morbi curam extendisse videtur.

Complicatio verminosa.

34. Sine mora in *febribus typhodibus verminosis* ad auxilia anthelmintica, suo loco fusius exponenda (66), confugiendum, alias multa mala oriri possunt, inter quae, ut vidimus,

(64) R. Tincturae rhei aquosae: aquae menthae crispae aa uncias duas: syrupi rhei unciam unam. M.

(65) *Observations on the utility and administration of purgative medcines in several diseases.* Cap. I. *Edinburgh* 1805. 8.

(66) Parte tertia Voluminis primi. Capitulo de vermibus intestinalibus. Vide etiam hoc ipso in volumine Cap. de febre gastrica §. LXI. de febre verminosa.

lethalis enteritis. *Infusum valerianae* ore sumendum, et clysteres ex *gummi resina assae foetidae* (67) ceteris hic anthelminticis palmam arripiunt.

Symptomata.

Quamvis symptomata fèbrium typhodum per ea potissimum remedia leniantur, quae indoli morbi, et rerum positionibus in genere accommodata sunt; attamen non reticendum, plurima inter ea peculiarem exposcere curam. Loquor praecipue de vigiliis, de sopore, de delirio, de convulsionibus, de haemorrhagiis, de bubonibus, de anthracibus, de parotide, de decubitu, de vomitu, de diarrhoea, de alvi obstructione, de meteorismo, et de retentione urinae.

Vigiliae.

36. *Vigiliae* sub stadio invasionis, et incrementi morbi nullo noto remedio sine damno aegrorum domari queunt, si excipiamus interdum lotionem aegrorum cum aqua calida, quo facto somnum conciliatum fuisse, plus vice simplici, experti sumus. Tardius vincuntur vigiliae adhibito ad vesperas *extracto hyoscyami nigri* (68). *Opio* autem solum locus est, declinante

(67) 17. 21.

(68) R. Extracti grana tria: sacchari grana decem. M. f. Pulvis D.

jam jam febre, vel ea omnino devicta, scilicet si salutaris somnus ab animi pathematibus, a tussi, vel a dolore partis cujusdam impediatur. Praematurus enim opii usus, in quacumque febre typhode, ob somni defectum maxime infensus esse solet, rite animadvertente egregio HUXHAMO (69). Atque eo ipso in casu, ubi opium hic indicatur, elige illius extractum aquosum (70); cetera enim opiata plerumque spem frustrant.

Sopor.

37. Ingruente morbo *soporem* leniunt caput denudatum, ejusdem elevata positio: sub pulsu irritato, et facie rubra, hirudines ad tempora, et retro aures: si alvus clausa sit, clyster antiphlogisticus (71). Provectiori autem morbo ad arnicam, et vesicatoria secundum regulas jam traditas (72) confugiendum. In genere omnia vitari debent, quae libero sanguinis circulo obstant, e. c. fasciae ad vesicatorium firmandum incongrua applicatio.

(69) L. c. (25) p. 84.

(70) Extracti opii aquosi granum unum: mucilaginis gummi mimosae niloticae: syrupi althaeae ad unciam semis. M. D. S. Capiat binis vicibus.

(71) §. XXX. 5. Not. 54.

(72) 17. 18.

Delirium.

38. *Delirium* typhi symptoma constituit, quod omnem non solum medicorum, sed et adstantium attentionem exposcit. Aeger vaniloquens diu noctuque sedulo custodiendus, ne, quod vidimus, per fenestras sese praecipitet, vel sibi ipse, sive aliis vim inferat. Optimum, si fenestrae clathratae sint. Quousque fieri potest, aegri haud ligandi; ex vinculis enim extremitates circumdantibus gangraenam conspeximus. — Ut vero, qui furiose delirant, cohibeantur, consueta maniacorum vestis in usum trahenda. Haec vero ita induitur, ut manicae longae, quibus instructa est, decussatim inferiori fulcro lectuli alligentur, tenso simul super pedes stragulo, vel fascia lata. Delirium aliquando sedatur, si consilio Lindii (73) tum manus, tum pedes flanella aqua tepida, addito paululum aceti, imbuta foveantur, et omni octava horae parte renoventur, ne de remediis jam supra adversus delirium variis sub rerum positionibus allatis (74), sermonem instituam. Delirantibus tandem nec liquida pharmaca, nec potus in vasculis vitreis suppeditandi. Vasa me-

(73) L. c.
(74) 17 -- 22.

tallica, vel cornua, quae cannula, vel rostro terminantur, hic optime inserviunt.

Convulsiones.

39. Si *convulsiones* in febribus typhodibus in conspectum veniant, probe examina, utrum vermes lateant, vel an methodus nimis calefaciens adhibita fuerit, ac pro re nata malo occurre, ultimo in casu per auram frigidiusculam, limonatam, clysterem antiphlogisticum etc. Alias ad laudata jam remedia, scilicet moschum, vel assam foetidam, et si haec effectu destituerentur, ad *tincturam opii compositam* (75) confuge.

Haemorrhagiae.

40. Ne *epistaxis*, nisi vitae insidias struat, aut evidenter morbum augeat, in febribus typhodibus cohibeatur, praecipue si sanguis fuerit floridus, atque ad coagulum pronus. Alias profluvio hujusmodi secundum regulas alibi exponendas (76) occurrendum, quod et de ceteris haemorrhagiis typhum comitantibus valet. Vigente *haemorrhagia intestinorum supersul-*

(75) R. Laudani liquidi Sydenhami scrupulum unum: aquae menthae piperitae uncias quatuor. M. D. S. Cap. omni hora cochleare unum majus.

(76) Parte secunda. Volumine primo. Capit. de epistaxi.

phatem aluminis, et potassae (77), nec non clysteres ex aceto incassum adhibuimus. Glacies abdomini imposita hic tentari mereretur.

Bubo pestilentialis.

41. Difficulter prorumpentibus bubonibus, illis vulgo cantharides applicantur, quae medendi ratio, utpote plagam gangraenosam excitans, damnari meretur, animadvertente inter alios expertissimo LERNET. Idem bene meritus Vir, impune bubones pestilentiales haud retroverti, vel resolvi, nisi comparentibus salutari sudore, vel urina, animadvertit. Quamobrem aegre sese prodeuntibus bubonibus, *caepa assata, fermentum panis, cum farina sinapis nigrae*, aut ex consilio cl. DESGENETTES, *radix squillae marinae cocta*, imponi debent (78). E contra, iis rite procedentibus, praecipue si valde doleant, aut aeger sit irritabilis, *cataplasma emolliens* (79), vel *anodynum* (80)

(77) R. Aluminis scrupulum unum. Mucilaginis gummi arabici: syrupi cinnamomi aa unciam unam: aquae fontis uncias novem. M. D. S. Omni hora cochlearia duo.

(78) Op. cit. (§. XXXVI. 3. Not. 23) p. 108.

(79) Ex mica panis albi, lacte et croco; vel ex herba malvae sylvestris.

(80) R. Herbae malvae sylvestris libram semis: herbae hyoscyami nigri uncias duas. M. D. pro cataplasmate.

applicandum. Cave vero, ne bubonem non omnino ad maturitatem perductum cultro aperias; saepe gangraena, et semper ulcus difficilioris curationis, sequi solent. Ita expertissimi viri, quorum testimonia cl. LERNET docte collegit, ob easdem rationes *scarificationes*, et *ustionem* bubonum rejiciunt.

Carbunculus, et Anthrax.

42. Naturae vires saepe separationem partis mortuae a viva in *carbunculis*, et *anthracibus* producunt; quare sat est adhibere *fomentationes aromaticas* (81) cum aceto, vel *fomentationes ex decocto cinchonae*, *addito muriate ammoniae*, aut *supersulphate aluminae, et potassae* (82). Galli in peste Syriaca, dum separatio unius naturae viribus non rite contingebat, *scarificationes* in auxilium utiliter ducebant. Ceterum depuratio ulceris ope unguenti digestivi fortioris cum camphora, myrrha, aloë, secundum chirurgiae leges, obtinetur.

Parotis.

43. *Parotis* incipiens ope linteorum calidorum camphora rasa adspersorum, aut *specierum*

(81) Pharm. Ruth. p. 344.

(82) R. Decocti corticis cinchonae officinalis saturati (§. XXX. 38. Not. 91) libram unam: salis ammoniaci, vel aluminis drachmam unam. M. D. S. pro usu externo.

aromaticarum sacculis commissarum fovenda. Crescente tumore, et deficiente spe resolutionis, aut, resolutione ab indole epidemica morbi contraindicata, *emolliens*, aut *anodynum cataplasma* tumori imponitur. Desiderata, sed tarda nimis parotidis suppuratio obtineri solet, addito cataplasmati emollienti *sapone*, vel applicitis *linteis liquore acetatis ammoniae imbutis*, vel illinito *sapone ammoniacali*. Ad maturitatem perducto abscessu, si hoc sine gravibus aegri incommodis fieri potest, spontanea ruptura patienter expectanda, quae vel extrorsum, vel in ipsam cavitatem oris contingere solet. Alias, imminente, e. c. suffocatione a parotide praeter modum extensa, aut impedito per eam circulationis opere, abscessus, dummodo maturus, *cultro* aperiri debet. A praematura autem parotidis sectione, lethalem gangraenam in xenodochio Vindobonensi conspexi.

Decubitus.

44. Nunquam aegri febre typhode provectiori laborantis curam suscipe, nisi illico ad latentem, et ab aliis forte minime animadversum *decubitum* respicias. Ne tam gravis erroris particeps fias, probe quotidie partes decubitui subjectas (83) *ipse* examina; vix enim aliorum re-

(83) §. XLIX. 4.

lationi fidendum. Avertunt, quoadusque fieri potest, decubitum summa mundities, positio corporis saepe mutata, linteorum subtilium frequens mutatio, usus pellis caprinae, vel alcis, vel telae ceratae subtensae, lectique bini. Quo primo autem rubor cutis in conspectum venit, parti affectae lintea aqua frigida imbuta, cui vel tantillum *aceti*, vel *liquoris acetatis plumbi* superadditur, applicanda. Caveas hic a frictione, praesertim ope alcoholis camphorati; augebitur enim malum, et inevitabilis fere erit laesio partium. Laesa jam jam cute suppurationis, aut gangraenae vestigia offerente, *cataplasma anodynum*. Provectiori gangraenae lintea *decocto cinchonae saturato* imbuta applicanda. Si multum ichoris e parte stillet, ea subtilissimo *corticis cinchonae polline*, vel et *pulvere florum matricariae chamomillae*, vel *radicis acori calami*, addita in majori malo *camphora rasa*, inspergenda, superimposito denique cataplasmate anodyno. Rapidissimis gangraenae progressibus et hic *scarificationes* obstant.

Vomitus.

45. *Vomitus* in typhodibus febribus interdum salutaris, igitur non indistincte compescendus, imo aliquando promovendus. Aliquot

grana radicis cephaelidis ipecacuanhae hunc in scopum sufficiunt. Interdum vero vel hoc in morbo caussa vomitus in cerebri affectione quaerenda, atque idoneis remediis pertractanda. Clysteres simplices, aut lenis alvi purgatio saepe vomitum in typho compescunt; alias conducunt vesicatorium regioni epigastricae appositum, item aqua glacialis, vel glacies condita, vel haustus acidum carbonicum evolvens (84), et nisi haec juvent, opium emulsioni arabicae nuptum (85).

Diarrhoea.

46. *Diarrhoea*, febris typhodis symptoma, maxima sedulitate curanda. Magna sane mala ex alvi profluvio hoc in morbo oriuntur; verum non minora ab ejusdem intempestiva suppressione. Sedulo igitur perpendendum est, utrum diarrhoea cohibenda sit, nec ne. Limites illi ponendi sunt; si ea vigente, morbus evidenter augetur, viresque magis magisque franguntur, si loco faecum serum excernitur, sique abdominis tensio non solum non imminuitur, sed potius increscit. Hunc in scopum, illinito prius

(84) Pharmac. Ruthena p. 255.

(85) R. Emulsionis arabicae (Num. 33. Not. 57. p. 329.) uncias sex: opii puri granum unum. M. D. S. Omni dimidia hora cochleare unum majus.

abdomine linimento ammoniato, illi fomentationes ex speciebus aromaticis imponimus. Hisce irritis, primum clysteres ex lacte, porro ex gummi resina ferulae assae foetidae (86), tandem ex opio (87) in auxilium ducimus. Hoc remedio licet minima dosi porrecto, alvus, saltem pro tempore, plerumque cohibetur, quod, si utiliter contigerit, in usu clysterum ex opio, pro re nata, continuandum. Si forte, cohibita alvina excretione, morbus in pejus rueret, ea clystere simplici iterum reseranda. Si diarrhoea, vel dysenteria in febre typhode sibi tantam partem vindicaret, veluti si morbum primarium sisterent, juxta regulas suo tempore tradendas (88) incedendum. Febris typhodes *gastrica* utplurimum a diarrhoea lenitur; subsidet enim ea vigente abdomen, imminuuntur sitis, et calor febrilis, verbo, omnia in melius eunt. Cave igitur, ne talem cohibeas diarrhoeam. Ea potius sustentanda, scilicet recenti morbo, et urgente calore cutis, potu acidulo, lenibusque purgantibus, provectiori vero in malo, sub ma-

(86) Num. 21. p. 318. Not 12.

(87) R. Infusi florum matricariae chamomillae uncias sex: tincturae opii compositae Sydenhami scrupulum semis. M. D. S. pro clystere uno.

(88) Parte tertia. Vol. Primo. Cap. de diarrhoea, et de dysenteria.

jori virium prostratione, *infuso radicis rhei palmati.*

Alvi obstructio.

47. Quacunque in febre typhode, ut *alvus* spatio nychthemeri semel bisve aperta sit, optamus. Verum, etiamsi hoc non tam regulariter contingat, nisi incommoda sequantur, parum interest, praesertim incipiente morbo. Si vero natura in alvo deponenda diutius deficeret, tunc primum clysteres simplices, dein purgantes (89) in auxilium ducendi. Et clysmata ex lacte, saccharo, et muriate sodae immitti queunt.

Meteorismus.

48. Ubi sub febre typhode venter in *meteorismum* assurgit, linimentum ammoniacale abdomini illinitum, et fomentationes aromaticae illi impositae, saepius conducunt. Ammoniam, ad gaz in intestinis evolutum absorbendum, hic semper incassum adhibuimus (90). Nec glacies contusa abdomini applicata nobis hucusque conduxit, conduxit maxime Patri meo. Praesente

(89) R. Sulphatis magnesiae uncias duas. Solve in aquae fervidae uncias sex. D. S. pro clystere uno.

(90) R. Spiritus salis ammoniaci caustici drachmam unam. Diluatur c. s. q. aquae fontis destillatae. D. ad vitrum epistomio munitum. S. Omni dimidia hora cochleare unum.

sente complicatione gastrica, meteorismus lenia evacuantia exposcit.

Retentio urinae.

49. Sedulo quotidie inquirendum, utrum aeger typho gravi decumbens, *mingat,* nec ne; et si mingat, utrum debitam etiam lotii copiam reddat. Potest enim, uti jam monuimus (91), incontinentia urinae cum retentione complicari. — Retentum lotium plerumque excernitur, illinita regione hypogastrica sapone ammoniacali, superimposito fomento calido, injectoque simplici clystere. Nisi haec juvarent, illico ad *catheterem* deveniendum.

§. LVI.

CURA CONVALESCENTIAE.

Recidiva.

1. Absoluto febrium typhodum curriculo, raro recidiva morbi timenda. Graves quidem convalescentium errores facile novam excitant febrem, et haec plerumque novam quoque offert indolem, scilicet rheumaticam, si convalescens refrixerit, gastricam, si gulae indulserit, et sic porro. Interea in dubium haud vocamus, potissimum animi pathemata ingrata pristinum interdum revocare morbum.

(91) §. XLVIII. 8.

Regimen.

2. Praeter *regimen diaeteticum*, convalescentibus ex febribus typhodibus vix quidpiam praescribendum. Consistit autem regimen hujusmodi in cibis nutrientibus facilis digestionis, saepe, et parca manu suppeditatis : in moderato vini, vel fortioris cerevisiae (*porter*), vel et aquarum martialium gaz acido carbonico impraegnatarum usu : in aëre libero rusticano : in amicorum consortio : in vitatione rerum ingratarum, mentisque intensionis : in motu corporis viribus accommodato, et in balneo tepido, munditiei gratia propinato.

Dyspepsia.

3. Non raro, devicta licet febre, secunda valetudo minime redit, atque aegri potissimum de ciborum *appetitu deleto* conqueruntur. Praeterea sitiunt, linguam exhibent albo muco obtectam, inquieti dormiunt, vomuntque interdum. Incassum hisce incommodis amara, et tonica opponuntur ; medela enim in usu *purgantis medicinae* (92) posita est. Sicuti enim mos antiquus, quotquot erant convalescentes purgandi,

(92) R. Infusi radicis rhei palmati, aquae menthae crispae aa uncias duas : sulphatis sodae drachmas tres. M. D. S. Cap. tribus vicibus.

incongruus censendus; ita hodierna consuetudo purgantia in convalescentia omnino rejiciendi contemnenda; quod probe retinendum.

Debilitas.

4. *Sudores* convalescentium saepe recreationi virium obstant. Si juncti sint dyspepsiae, caussa praecipue illorum in abdomine quaerenda, et lenibus purgantibus debellanda. Alias convalescentium sudores certe compescit *opium acido sulphurico nuptum* (93). Pollutionibus idem *acidum alcoholi* nuptum (94) obstat; uni vero virium defectui *infusum corticis cinchonae officinalis frigidum* (95), aut illud *radicis acari calami* (96), aut *decoctum herbae menianthes trifoliatae* (97).

Sensuum imbecillitas.

5. Nisi sensuum, praecipue auditus, et visus imbecillitas, eadem ratione, qua vires instaurantur, evanescant, illis omnis cura consecranda.

(93) R. Tincturae opii compositae: tincturae sulphuricae aromaticae aa drachmam unam. M. D. S. Cap. ad vesperam guttae viginti.

(94) §. LV. 15. Not. 79.

(95) R. Corticis cinchonae unciam unam. Stet in digestione c. s. q. aquae fontis per nychthemerum. Col. librae unius Dr.

(96) §. LV. 17. p. 314. Not. 94.

(97) R. Herbae trifolii fibrini drachmas duas. Coque etc. ad colat. unciarum septem. Cap. tribus vicibus.

Surditati ut obvenias, vel *setaceum* nuchae, vel *cortex daphnes mezeraei* retro aures ponenda. *Visus obnubilatio*, vel *amaurosis*, secundum regulas alibi exponendas (98), tractanda. Sufficiat hic meminisse, *setaceum* ad nucham, *muriatem hydrargyri*, *folia digitalis purpureae*, *flores arnicae montanae* interne, externe vero frictiones regionis supraorbitalis cum *tinctura opii composita, et aethere sulphurico*, ope gossypii, potiora hic curationis momenta sistere. Adde lucis nimiae moderamen.

Pectoris affectio.

6. Etiamsi tussis diu post febres typhodes remaneat, atque plura signa phthiseos pulmonalis periculum portendere videantur, vix time, si aeger aliunde pectore sano instructus sit; excepto enim rarissimo casu metastaseos ad pulmones, nunquam mali quid inde venisse conspeximus. Tussis convalescentium curatur decocto *lichenis islandici* (99) cum *lacte*, porrecto simul opio, vel *pulvere* sic dicto *Doweri* hora somni. Interdum tamen ad *decoctum radicis polygalae senegae* (100) recurrendum.

(98) Part. II. Vol. I. Cap. de morbis oculorum.

(99) R. Lichenis islandici unciam semis. Coq. etc. col. librae unius. D. Cap. ter de die vasculum unum cum totidem lactis.

(100) R. Radicis polygalae senegae drachmas duas. Coq. etc. ad colat. unciarum decem, cui adde syrupi papaveris albi unciam unam. M.

Rebellem, atque fere spasmodicam convalescentium tussim, plus vice unica, connubio *opii*, *oxydi stibii hydrosulphurati praecipitati*, et *moschi* devictam vidimus (1). Loco opii et *extractum hyoscyami nigri* usurpamus.

Ulcerum sanatio.

7. Nonnunquam *ulcera*, vel a vesicatoriis, vel a decubitu relicta, convalescentiam perturbant. Hujusmodi ulcera cataplasmate emolliente continuo fovenda, ab ungentis abstinendum, et patientis vires tum victu nutriente, tum cortice cinchonae, nec non decocto glandum quercus roboris tostarum cum lacte, *caffé* ad instar, sustinendae; ceterum sanationis opus naturae committendum (2). Atque ita corpore ceterum sano; longe vero aliter latente alia lue sive scorbutica, sive venerea etc. Tali enim in casu sanatio ulcerum, de quibus sermo est,

(1) R. Sulphuris aurati antimonii grana sex; moschi grana duodecim; opii grana duo; sacchari drachmam unam. M. f. Pulvis, divide in sex partes aequales. D. S. ter de die capiat pulverem.

(2) Musculos glutaeos ex utraque parte, fere omnino a decubitu consumtos, regeneratos hac sub methodo conspeximus; mirificum sane naturae opus. Aeger spatio duorum mensium abdomini diu noctuque incumbere coactus fuit, atque decumbendi hanc rationem, vel recuperata salute, dormiens retinuit.

non aliter obtinetur, nisi deducta in auxilium methodo specifica, rerum positionibus accommodata, quam memorabilem observationem memoriae tradere juvabit.

Crinium resectio.

8. Ne crines, vigente morbo forte praeter modum intricatos, convalescenti rescindito; gravissima enim mala interdum inde sequuntur (3). Praeceptum hujusmodi inprimis in regionibus, quae *trichoma* pro morbo endemico agnoscunt, retinendum. Sed nec crines intricatos, saltem omnes, vix superato morbo pectini subjicito; nam facili negotio convalescentes incidunt in gravem cephalaeam (4). At cavendum, ne pediculi, quieti diu noctuque obstantes, virium recreationi impedimento sint.

(3) Lanoix. *Actes de la Société de médecine etc. de Bruxelles.* T. I. p. 94. Etiam in *Samml. auserl. Abhandl. für prakt. Aerzte.* XX. B. 2 St. S. 247.

(4) Maxime *convalescentium cephalaeas* timeo, praesertim vero dum sine nota caussa contingunt. Ter enim convalescentes hoc malo laborantes, ceterum autem veluti sanos, inopinate aeque ac repente, e medio ablatos vidi. Sectis cadaveribus semel tantum seri collectio morbosa in ventriculis anterioribus cerebri detegebatur; alias prorsus nil.

Caput V.

DE FEBRIBUS GASTRICIS.

§. LVII.

DE ARGUMENTO GENERATIM.

Definitio.

1. Febris continua, raro, aut nunquam contagiosa, magnis remissionibus plerumque stipata, atque labefactationem tubi intestinalis, et viscerum chylopojeticorum exhibens, *gastrica* dicitur (5).

Divisio.

2. Dividuntur febres gastricae in *primarias*, et in *secundarias*. Primae illae febres ex alimentis *copia*, vel *qualitate* peccantibus natas comprehendunt; hae ceteras febres sic dictas *biliosas*, *pituitosas*, et *verminosas*.

Rerum ordo.

3. Ut doctrinam tanti momenti debito ordine exponamus, ita de singulis febrium gastri-

(5) *Synonima* Febris abdominalis, mesenterica, meningo-gastrica, splanchnica., etc.

earum speciebus loquemur, perinde ac si tot distinctos morbos constituerent; et primum quidem:

§. LVIII.

DE FEBRE GASTRICA PRIMARIA EX REPLETIONE.

Symptomata.

1. Vix repleto ventriculo alimentorum copia illius vires, aut capacitatem excedentium, magna regionis epigastricae tensio, oppressio percipiuntur, subsequente anxietate, cum pulsu frequenti, ac pleno. Nox fit inquieta, et insomniis perturbata. Die altera lassitudo, morositas, oris prava conditio, ventris tensio, anorexia, ac magna ciborum aversio, sese manifestant. Inprimis vero nausea, vomituritio, flatus nidorosi, capitisque dolor, nec non evidens febris succedunt. Saepe ardor summus ventriculi urget, qui per oesophagum ad fauces ascendit. Augescit desiderium vomendi, atque ipse aegrotans monet, quod, vomere si posset, mox omnia in melius mutarentur. Insequitur ciborum corruptorum, in massam acidam, acerbam conversorum vomitus, ter quaterve repetitus, a quo singula symptomata, inprimis anxietas, oppressio, lassitudo extemplo aufe-

runtur. Interim solitum necdum redit ciborum desiderium: abdomen adhuc turget, ac tensum est: borborygmi copiosi, ac dolores abdominis sat acuti, hinc inde recurrentes, accusantur: flatus foetidissimi, ac hydro-sulphuretum potassae redolentes per anum cum levamine secedunt. Tandem si vires non desint, ac cibis ulterioribus abstineat aegrotus, subsequitur diarrhoea, et copiosas, olentesque faeces per anum emittit. Urina jumentosa. His saburris rite expulsis, pristina redit alacritas, ciborum appetitus restituitur, ac turbae omnes in abdomine sedantur. In aliis forte jam debilioribus, tres quatuorve dies ad hanc salutarem massae irritantis evacuationem requiruntur, ac haud raro sat intensa febris accedit, atque nutritionis opus prosternitur.

Diagnosis.

2. Morbus, de quo agitur, *ephemerae simplicis*, tum *protractae* imaginem refert. Illius diagnosis, cognita caussa, non ardua. At saepius aegri commissam intemperantiam celant. In genere nil magis ad diagnosim morborum hujusmodi instituendam confert, quam notio modi vivendi hominibus variorum ordinum proprii, nec non religionis praeceptorum quoad jejunia, et ad dies festos. In hominibus cete-

rum sanis febris gastrica ex repletione *simplex* admodum est. In plethoricis, aut nervosis vero, *complicatur* cum nonnullis signis febrium sive inflammatoriarum, sive typhodum.

Prognosis.

3. Febris ex repletione in senibus magnas interdum insidias struit; facile enim symptomata apoplexiae iis superveniunt. Repetiti hujus morbi accessus totum corpus labefactare, et plurimis morbis chronicis, praesertim arthritidi, viam sternere solent.

Cura.

4. Vomitus si sponte appareat, potu vel aquae tepidae, vel leni infuso theato promovendus. Interim potioni non nimis indulgendum, ne ventriculus praeter modum distentus prorsus imbecillis reddatur. Ergo quocumque in casu vomitus unam, aut duas mensuras haustas non sequatur, digito, aut penna excitanda evacuatio. *Emeticum* quidem non raro indicatur; at non sine absoluta necessitate adhibendum. Satius plerumque est refractas, ut dicunt, *tartratis stibii*, et *potassae* doses exhibere (6). *Clysmata* maximum porro levamen afferre solent. Quo primum saburra inferiora versus

(6) §. XXX. 9. Not. 69. p. 161.

pergit, neque satis evacuatur, solutio *supertartratis potassae* (7). Si natura nihilominus in alvo deponenda deficiat, *sulphas magnesiae* (8). Absente jam jam febre, sed praesente diarrhoea, *infusum radicis rhei palmati* (9). Pro potu per totum morbi curriculum limonata. Ceterum aeger ab alimentis omnino abstinere debet. Convalescenti, nisi sponte restituatur ciborum desiderium, *decoctum ligni quassiae amarae* (10), aut *herbae menianthes trifoliatae* (11), aut *vinum absynthii*, vel *elixir viscerale* Hoffmanni (12). Ita potus *caffé* saccharo, et lacte.

(7) §. LV. 33. p. 329.

(8) R. Salis amari unciam unam, et semis. Solve in unciis tribus aquae fervidae, capiat binis vicibus.

(9) §. LV. 33. Not. 64. p. 330.

(10) R. Rasurae ligni quassiae drachmam unam. Coq. c. s. q. aquae per 1/4 horae. Colat. unciarum septem detur. S. ter de die vasculum semis coffeanum.

(11) §. LVI. 4. Not. 97. p. 344.

(12) Dosis cochleare unum majus, bis, terve in die.

§. LIX.

DE FEBRE GASTRICA EX ALIMENTIS PRAVAE INDOLIS.

Observatio.

1. Febres ex alimentis pravae indolis dum considerantur, ut quodammodo imperium toxicologiae attingamus, rerum exposcit nexus.

Fungi.

2. *Fungi*, etiamsi haud venenosi, tum ob propriam indolem, tum ob insecta, et vermes, quibus repleti esse solent, alimentum difficilis digestionis sistunt. Nihilominus nequaquam cel. TISSOTO assentimur, qui eos ex alimentorum catalogo expellere voluit (13); vulgatissimum enim, et necessarium fere plurimarum gentium constituunt nutrimenti genus (14), ne de eorum sapore sermonem instituamus. Omnis autem cura distinguendis fungis esculentis a venenosis impendenda. Suspecti sunto fungi glabri, et tenaces, colore ex livido nigrescente, viridi, sive

(13) TISSOT *de l'epilepsie.*

(14) PALLAS *Reisen* I. B. S. 30-31.- Acta mea clinica. An. I. p. 24.

variegato instructi, odorem putridum exhalantes, aut cito putrescentes, per ebullitionem duri evadentes, nec non caule perforato dotati. Interea fateamur oportet, hujusmodi signa maxime incerta esse (15). Ex sola enim botanice fungorum notio desumi potest. Vulgatissimos quod spectat fungos, in summo gradu venenosi sunt *agaricus muscarius*, *boletus elegans*, et *phallus impudicus*; esculenti vero *agaricus deliciosus*, *boletus bovinus*, et *phallus esculentus*. At non ignorandum, egregium PALLASIUM in ea versari opinione, *easdem* prorsus fungorum species, pro vario climate, nunc venenosam, nunc innocuam exhibere indolem (16). *Symptomata* ab esu fungorum veneficorum sunt: virium prostratio, motus febriles, vertigo, nausea, vomitus, alvi obstructio, abdominis inflatio, sanguinis stillicidium ex ano, sopor, convulsio, tremores, et delirium. *Diagnosis* haud difficilis, si innotuerit, aegrum fungos comedisse, alias anni tempus, repens morbi, forte in nonnullis ejusdem familiae individuis, origo, conditio materiae vomitu rejectae, aliaeque circumstantiae, suspicionem de caussa morbi la-

(15) Jos. FRANK's *Handbuch der Toxicologie.* 2 *Ausgabe. Wien* 1803. §. CXXXIX. Not. 119. p. 206.

(16) L. c.

tentis movent. Morbus neglectus magno vitae periculo stipatur; recens, adhibitis debitis auxiliis, fere semper feliciter debellatur.

Mytili.

3. *Mytili* esculenti a noxis necdum satis distincti. Dubitatur imo, utrum mytili re ipsa venenosi existant, an damna, quae interdum afferunt, a propriis eorum morbis (17), vel ab animalculis iis adhaerentibus (18), repeti debeant. Saepe mytilorum licet esculentorum pernicies peculiari idiosyncrasiae innititur (19). Quomodocunque sit, esum eorum interdum sequitur febris pruritu intolerabili cutis, ejusdemque maculis, et tuberculis stipata, cum capitis tumore, nausea, vomitu, et delirio. Ipsa *ostrea edulis* a mense maio usque ad mensem septembrem non sine febris, vomitus, et diarrhoeae periculo comedi potest. In genere ostreae coeruleae, lacteae, et in testis fluctuantes maxime suspectae. Verum plerumque ostrearum magis *copia*, quam *qualitas*, noce-

(17) Behrens de affectionibus a mytilis. In oper. Werlhoffii p. 491.

(18) J. P. Frank *System einer vollstandigen medicinischen Polizei. Erste Abtheilung. Dritter Abschnitt.*

(19) J. P. Frank Op. paulo ante cit. (2. Not. 15.) §. CXLVI. Not. 126. p. 112.

re solet. Nec *cancer fluviatilis* semper innocuus. Certos apud homines eorum esu erysipelas, quasi scarlatina, excitatur. Vomitus spontaneus, aut diarrhoea, plerumque hujusmodi febres gastricas fugant.

Pisces.

4. *Pisces* ab omni aevo pro alimento suspecto habiti sunt (20). Verum non semper, ubi damnum afferunt, ipsa eorum venefica natura accusanda. Saepe nempe substantiae narcoticae, quibus piscantur, e. c. coculi orientalis officinarum, vel lini, sive cannabis in piscinis maceratio, malorum sistit caussam. Sola porro *piscium ova* interdum nociva, e. c. ova *cyprini barbi*, et, ut fertur (21), ipsius interdum *esocis lucii*; ita hepata *piscium* quibusdam saltem in plagis (22). *Symptomata* esum piscium interdum sequentia sunt: febris, nausea, debilitas, vertigo, anxietas, dolores artuum etc.

Caro animalium etc.

5. Quamvis caro animalium a morbis necatorum, vel et alias jam jam putrida, sine mi-

(20) Paw *Recherches philosophiques sur les Egyptiens et les Chinois* T. 3. p. 130. Chicholm *Medic. chirurg. Journal. Edinburg* 1808.

(21) Spielmann Institutiones materiae medicae. p. 166.

(22) Haller Elementa physiologiae. T. VI. p. 211.

nimo sanitatis detrimento saepe numero comedatur, cujus rei luculentissima exempla inter alios collegit cl. UNZER (23); tamen perniciosi utrarumque effectus, ut saepe experti sumus, nequaquam in dubium vocari possunt. Nec *solis visceribus* horum animalium, uti plurimi credunt, venefica qualitas tribuenda, licet qui iis vescuntur longe gravius affici soleant. Evidentia enim mala vel ex esu carnium extremitatum orta vidimus, scilicet nauseam, vomitum, diarrhoeam, cephalaeam, capitis, ventrisque intumescentiam, oris siccitatem, ac foetorem, febrim cum magna virium prostratione, pulsu frequenti, et debili, potissimum vero *anthraces*. Plurimis in locis, praesertim ad ventrem, dorsum, sed et faciem, et extremitates ii prorumpere solent, magnitudine interdum palmae. Vel devicta omnino febre per curriculum hebdomadis, et ultra anthraces perstant. Vidimus eos in rusticis propria munera perficientibus, et praeter debilitatem nil accusantibus. Nisi natura ipsa mox auxilio aegroto sit, aut congrua adhibeatur medela, praecipue tenera in aetate, plurimi moriuntur. Febres ab esu carnium animalium, morbis contagiosis defunctorum ortas, tum in Insubria, tum in Li-

(23) UNZER.

thuania semper contagii expertes vidi. Differt igitur anthrax hujusmodi omnino a pestilentiali illo, de quo supra (24).

Prophylactica.

6. Longe facilius est pericula ab alimentis hucusque recensitis, ope legum civilium avertere, quam ea praesentia curare. *Fungorum* venditio, praevio examine, ac publico tantum in foro personis jam cognitis concedenda. Enarratio periculi ex fungis venenosis, ac descriptio eorum, nec non fungorum esculentorum publici juris facienda (25). Primi illi extirpandi (26). Venditio *ostrearum* non omni anni tempore permittenda (27), atque *piscium* clandestina emptio prohibenda. Porro ne pisces mortui, praecipue grassantibus inter eos morbis epidemicis, aut tempore, quo sperma emittunt, vendantur, curandum. Tandem *lanienae* severissimis legibus (28) submittendae.

Cura.

7. Si vomitus spontaneus esum fungorum,

(24) §. XXXVII. 3.

(25) *Traité historique, graphique, culinaire et médical des champignons. Par* Mr. PAULLET.

(26) J. P. FRANK *Syst. der med. Polic.* 3 B. 1te Abtheil. 4ter Abschnitt.

(27) UNZER's *Arzt.* 90.

(28) J. P. FRANK op. cit. 3 B. 1te Abtheil. 1ter Absch.

piscium, et carnium noxiarum sequatur, ille ope aquae tepidae, melli acetato nuptae, promovendus. Comestis mytilis noxiis eidem scopo *lac* tepidum inservit. Nisi vomitus sponte prorumpat, is aut pulvere *radicis cephaelidis ipecacuanhae* (29), aut *sulphate zinci* (30), provocandus, aut consuetis mechanicis auxiliis, quibus compressionem regionis epigastricae ope manus addimus. Si autem noxae ad intestina jam devectae suspicio haberetur, tunc tartratis stibii, et potassae solutio (31), vel ea sulphatis magnesiae (32) etc. concedenda. Fungi nonnunquam apud homines plethoricos diathesin inflammatoriam excitant. Major illius gradus venae sectionem exposcit, ac deinde fomentationes frigidas ad caput. Nec clysteribus subfrigidis ex aqua, et aceto tunc parcendum, et, si aeger deglutire potest, potione analoga utendum. Saepius tamen diathesis atonica vel fungorum, vel alio-

(29) A scrupulo uno ad duos.

(30) R. Vitrioli albi puri scrupulum unum; solve in aquae destillatae unciis quatuor. D. S. Cap. illico duo cochlearia majora, dein sensim sensimque reliquam partem, donec vomitus sequatur.

(31) §. XXX. 2. N. 69. p. 161.

(32) R. Salis amari unciam unam, et semis. Solve in unciis quatuor aquae fontis fervidae. Colat. D. S. Cap. binis vicibus.

rum ciborum noxiorum actionem sequitur. Hac sub rerum positione ad aetherem sulphuricum, vel alium, ad ammoniam, vel, praesentibus motibus convulsivis, ad ipsum opium confugi debet, non neglectis clysteribus ex *nicotiana* (33). A carnibus animalium morbo contagioso necatorum, saepe typhodis febris species evolvitur, cui, eliminata caussa gastrica, consueta methodus (34), praecipue autem *acida mineralia* opponi debent. Anthraces aqua, et aceto, vel decocto corticis quercus roboris, addita portione supersulphatis aluminae, et potassae (35), foveantur oportet, et, si gangraena dilatetur, scarificandi.

(33) R. Foliorum Nicotianae tabaci drachmas duas. Coque c. s. q. aquae fontis per quartam horae partem. Colat. unciarum octo D. S. pro uno clystere.

(34) §. LX.

(35) R. Corticis quercus uncias duas. Coque c. s. q. aquae fontis etc. Colat. librarum duarum adde aluminis drachmas duas. D. S. pro usu externo.

§. LX.

DE FEBRE GASTRICA SECUNDARIA GENERATIM, ET IN SPECIE DE FEBRE BILIOSA.

De febre gastrica secundaria generatim.

1. Secretio hepatis non solum, sed et ea pancreatis, glandularum mesenterii, vel ipsius ventriculi, et intestinorum, ita aliquando perverti solet, ut, tum ex caussa ignota, quam *diatheseos gastricae* sub nomine designavimus (36), tum ex diathesi sive inflammatoria, sive rheumatica, sive typhode, vel *bilis*, vel *pituita* praeter modum cumulentur. Interdum vel *vermium* observatur proventus. *Febris* hujusmodi status morbosos insigniens, pro re nata *biliosa, pituitosa, verminosa*, nuncupatur. Primum de biliosa.

Scriptores de febre biliosa.

2. Optime de *febribus biliosis* egerunt BAILLOU (37), BAGLIVI (38), TISSOT (39), STOLL (40), aliique supra allati scriptores (41).

(36) §. XII. 3.

(37) Op. cit. (§. IX. 1.) Epidemicorum liber secundus.

(38) Op. cit. (§. IX. 2.) Lib. de febribus malignis, et mesentericis.

(39) Op. cit. (§. IX. 3.)

(40) Op. cit. (§. IX. 8.)

(41) §. XVII. 3.

Ejusdem symptomata.

3. Quibus morbus imminet, cibum fastidiünt, ac aversantur, corporis patiuntur gravitatem, ac noctes insomnes transigunt. Post unum, alterumve diem sequitur horror cum intercurrente calore, plerumque ardente. Pulsus fit frequens, interdum plenus, durus, alias obscurus (42), intermittens (43). Caput obtuse dolet, oculi lacrymis fere innatant, atque fulgent, genae rubore profundo, circumscripto, notatae: ad latera nasi, et oris cutis pallida, ex flavo viridescens. Epistaxis. Labium inferius interdum tremit. Os amarum, halitus foetens, lingua albo, flavoque muco obducta, sicca, humida, saltem ad latera. Screatio frequens, sitis inexplebilis, potus aciduli desiderium. Regio tum epigastrica, tum hypochondriaca, praesertim dextra, tensa, attactum respuens. Nausea, ructus nidorosi, vomituritio, vomitus. Materies rejecta, biliosa, herbacei, aeruginosi, nigrique coloris, acerrima, faucium ardorem relinquens. Sensim sensimque totum tumet abdomen. Adsunt borborygmi, dolores vagi intestinorum: alvi segnities, vel fluxus biliosus, stercoraceus, foeditissimus. Urina crassa, jumentosa, flavescens. Artuum interdum

(42) Galeni method. medend. Lib. II, c. 3.

(43) Ferrein *histoire de l'Academie de Paris.* 1766.

dolores. Cutis aspera, sicca, flava, non raro peticulis insignita. -- Febris cum cunctis symptomatibus evidentissime horis matutinis remittit, exasperatur vero maxime versus solis occasum. Noctes inquietae, pavoribus, vigiliis, quin imo deliriis perturbatae. Morbus ad septimam, decimam, vel decimam quartam diem protrahitur, terminaturque sive diarrhoea, potissimum vero sudore, et urina critica. Alias in evidentem transit febrem typhodem.

Autopsia cadaveris.

4. Interdum volumen hepatis auctum, color illius pallidior, flavus: vasa sanguinea, et biliosa dilatata: cystis fellea turgida. Substantia hepatis flaccida. Lien nonnunquam friabilis, tumidus (44).

Caussae excitantes.

5. Febris biliosa in regionibus tropicis, et paludosis endemica, saltem saepe epidemica, vel catastica, grassari solet aestate praefervida ver pluviosum subsequente, noctibus frigidis stipata. Favente annua, vel epidemica constitutione, ad hujusmodi morbum producendum concurrunt errores in diaeta, abusus liquorum fermentatorum, vestium levitas, animi pathema-

(44) Reil op. cit. 3 B. S. 400.

ta, praesertim ira, moeror, nec non curae. Contagio autem expers videtur. Victum animalem prae vegetabili, aut fructuum defectum, caussas febrium biliosarum sistere, hypothesium gratia nonnulli contenderunt. Si enim res revera ita se haberet, cur divites, quorum mensae carnibus abundant, prae pauperibus, qui potissimum vegetabilibus vescuntur, ab hoc morbo non corripiuntur: curque in regionibus septentrionalibus fructibus fere orbatis ille non frequentius quam alibi conspicitur?

Caussa proxima.

6. *Caussam proximam* febris biliosae in ipsa *bile* maxima medicorum pars quaesiverat. Hodiedum vero omnes fere in ea versantur opinione, bilis copiosam secretionem nonnisi morbi *effectum* sistere, de quo argumento egregie scripserunt cl. MOSELEY (45) et REIL (46). Multum denique disceptatum fuit, utrum hic bilis in ipso sanguine praesto sit (*polycholia*), an solum ex eo nimia copia secernatur, vel jam secreta absorbeatur, atque iterum ad massam cruoris deferatur? -- Bilem in sanguine praeexistere, experimenta Ill. Virorum PARMENTIER,

(45) Op. cit.
(46) L. c.

et Deyeux (47), Roose (48), et Domling (49) negant; eam vero absorberi exemplum icteri probabile reddit. At idem hic morbus, icterus scilicet, docet, bilis resorptionem contingere posse, quin febris excitetur. Verisimile igitur est, febrem biliosam nec a polycholia, nec a resorptione bilis originem trahere, bilisque proventum nil aliud esse, quam effectum secretionis morbosae. Hoc posito, alia sese offert quaestio; an scilicet *caussa* hujus secretionis sit *specifica*, an pro re nata inflammatoria, rheumatica, typhodes?

Diagnosis.

7. Saepe febris biliosa sane nil aliud est, quam febris sive inflammatoria, sive rheumatica, sive typhodes, cum peculiari hepatis affectione, abnormem bilis secretionem largiente. At rem non *semper* ita se habere, plurima docere videntur. Extant nempe febres biliosae, quarum cura brevissime per sola emetica, et purgantia absolvitur, ac ubi indicationes ceteris diathesibus accommodatae nullum exposcunt respectum. Nil impedit, quominus morbus hic

(47) Reil's *Archiw.* 1. B. 2 Fl. S. 104.

(48) *Physiologische Untersuchungen. Braunschweig* 1796.

(49) Dissertatio sistens morborum gastricorum acutorum pathologiam. Wirceburg 1797.

pro *specifico* habeatur, videlicet pro effectu ignotae constitutionis bilis secretionem morbose augentis. Hujusmodi *febres biliosae* nobis erunt *simplices*; primae illae *inflammatoriae*, *rheumaticae*, *typhodes*. Priusquam vero signa variarum febris biliosae specierum eruamus, rerum ordo exposcit, ut de diagnosi hujus morbi in genere sermo fiat, scilicet de *fallacia symptomatum* febrium biliosarum, nec non de periculo eas cum aliis morbis confundendi.

Fallacia symptomatum.

8. Nullum signum datur, quod febribus biliosis pathognomonicum dici possit. Genarum rubor circumscriptus non solum hujusmodi, in febribus, sed et in aliis morbis observatur, v. c. in peripneumonia, in phthisi pulmonali etc. Vel color flavus cutis non semper a bile. Detegitur nempe et post magnas haemorrhagias, et post morsum viperae, et in recens natis, primum scilicet cancri cocti adinstar rubentibus, paulo vero post plerumque flavescentibus. Flavent tandem maculae scorbuticae, flaventque ecchymoses, dum cruor in telam cellulosam effusus magna ex parte absorptus est. Ita a cruore, potius quam a bile, flavedo sputorum in peripneumonia, et in pneumonorrhagia derivanda. Labii inferioris tremor saepe

a nervosa passione oritur, e. c. vel in sano homine, quando fletus proruptururus est. Sapor oris depravatus, amarus, multis in morbis licet non biliosis occurrit, e. c. in coryza, ita post perpessum jejunium; sensus enim saporis, aliorum adinstar sensuum saepe depravatur, ac cerebro falsas impressiones committit. Lingua saepe muco denso, flavoque obducitur, e. c. in cynanche faucium, quamvis non biliosa, a dente carioso, a mercurii usu etc. Hystericae, et hypochondriaci sine latentis bilis indiciis ructus experiuntur, interdum nidorosos. Screatio a solo intuitu, vel a reminiscentia rei ingratae. Ita nausea, et vomitus, cui praeterea ansam porrigere solent motus rotatorius, aut inconsuetus corporis, contagium variolarum, laesiones cranii, vitia renum, uteri, vesicae urinariae, herniae etc. -- Super fallaciam signorum febris biliosae legenda memorabilis Patris mei disceptatio (50).

Distinctio ab aliis morbis.

9. Remissiones evidentes, quibus febres biliosae stipantur, periculum, eas cum *febribus intermittentibus* praecipue *subcontinuis* confundendi, portendunt. Grave hoc periculum, ut avertatur, regulae jam traditae (51) sedulo

(50) De larvis morborum biliosis. Prolusio academica.

(51) §. XXVIII. 3.

perpendendae. Et *hydrops cerebri acutus*, praecipue infantum, non raro febre, signis biliosis, praesertim vomitu, insignitus occurrit. Distinguitur a morbo, quem simulat, per propria sua signa (52). Potissimum autem periculum praesto est *gastritidem*, et *hepatitidem* cum febribus biliosis confundendi, de quo argumento infra (53). Ita ingruentes *variolas*.

Febris biliosa simplex.

10. Symptomata recensita (54) in febre *biliosa simplici* levissima. Remissiones maxime conspicuae. Vomitus, vel diarrhoea tum sponte contingentes, tum arte sollicitata magnum offerunt levamen. Vix autem ne vix quidem ardor ventriculi occurrit, ac aegri, compressa regione epigastrica, et hypochondriaca dextra, nullum accusant dolorem.

Febris biliosa inflammatoria.

11. *Febris biliosa inflammatoria* praesertim in juvenibus, plethoricis, liquoribus fermentatis abutentibus, nec non post suppressas haemorrhagias consuetas occurrit, imprimis tempore aestivo, aut in regionibus tropicis. Praeter consueta, et generalia diatheseos gastricae, et in-

(52) Part. II. Vol. I. Cap. de hydrocephalo.

(53) Num. 11.

(54) Num. 3.

flammatoriae signa, animadvertuntur cephalaea, albugineae flavedo, epistaxis, ardor ventriculi, dolor epigastrii, qui ad hypochondrium dextrum extenditur, atque ab attactu vehementer augetur. Evacuationes spontaneae vix levamen producunt: remissiones minus evidentes. Signa hujusmodi si non levem *gastritidem*, et *hepatitidem*, saltem proclivitatem ad eas ostendunt. Nec facile puto fore, ut quempiam lateat similitudo inter febrem bilioso-inflammatoriam vehementem, et *flavam Americanorum* (55), nec non *hemitritaeum Daciae* (56).

Febris biliosa rheumatica.

12. *Febris biliosa rheumatica* ex vicissitudinibus temperiei ortum ducit, inprimis tempore, quo dies calidi a noctibus frigidis excipiuntur. Facile in hunc morbum incidunt homines insidiarum climatum calidorum ignari, item milites post itinera diurna sub ardentibus radiis solaribus noctes super solum humidum transigentes. Febris rheumaticarum febrium ad instar (57) incipit, praecedunt evolutioni symptomatum biliosorum ophthalmiae, cynanche faucium, coryza, catarrhus etc. et sub ipsius

(55) §. XLIII.
(56) §. XLVI.
(57) Cap. VI.

morbi curriculo dolores artuum, abdominisque, saepe signa quasi dysenteriae occurrunt. Nec semper hepatis regio attactum fert.

Febris biliosa typhodes.

13. *Febris biliosa typhodes* febrium biliosarum tum simplicium, tum complicatarum, praecipue inflammatoriarum ad instar, incipit. Sensim sensimque vero evolvuntur signa diatheseos typhodis, inprimis virium prostratio magna, deliria, subsultus tendinum, meteorismus, decubitus etc. Non raro morbus curationis perversae, vel corporis ante morbum jam debilitati, vel animi pathematum effectus est. Interdum hic symptomata febrium biliosarum typhodum cum signis inflammatoriis mirum in modum complicantur, atque medendi difficultates fere insuperabiles afferunt.

Observatio.

14. Hucusque quidem in morbo, de quo agitur, solum de *bilis* secretione sermo fuit, vix enim opus esse credidimus animadvertere, *saburras*, tempore, quo febris biliosa saevit, in tubo intestinali praesentes, statum morbi debere augere, atque febrem quasi *bilioso-saburralem* producere. Quin imo interdum videtur, ac si saburrae in febribus biliosis, vel et in aliis febribus, versus finem morbi *secernantur*. Saltem

haud rarum est, aegros observare, qui incipiente, et crescente morbo nil nisi bilem, vel serum per anum evacuant, eo vero declinante magnam faecum copiam excernunt, quas prius extitisse vix imaginari licet. Ac revera nil miri foret, si ampla intestinorum superficies, criseos tempore, similes exhiberet secretiones, ac cutis, et renes.

Prognosis.

15. Febres biliosae *simplices*, debita medela adhibita, periculo carent. Non ita *complicatae*, praecipue inflammatoriae, et typhodes, inprimis primae illae in regionibus calidis. In genere febres biliosae raro dierum criticorum, criseosque leges sequuntur. Bonum, quo notabiliores remissiones, progrediente morbo, et quo evidentius levamen evacuantium. Haemorrhagiae narium rebelles, pulsus fere vacuus, simulque vibrans, lingua rubra, pectoris affectio, vel diarrhoea vires prosternens, vel pertinax alvi obstructio, ac praecipue enteritidis indicia pessimum morbi exitum praesagiunt: at non sine exceptione.

Cura generatim.

16. *Cura* febrium biliosarum multis interdum difficultatibus premitur, ac arduum hic est regulas generales statuere. Suademus igitur, ut ea

sine praeconcepta mente suscipiatur, atque ad indolem regnantis forte epidemiae, praesertim vero ad effectus juvantium, et laedentium summa habeatur ratio.

Cura febris biliosae simplicis.

17. *In febre biliosa simplici*, remoto fere omni victu, exceptis jusculis vegetabilibus subacidis, vel fructibus sive recentibus, sive coctis, potus praescribitur ex succo quodam subacido, saccharo edulcorato (58). Simul pharmaca adhibentur, quorum ope, uti dici solet, saburrae *mobiles* redduntur, e. c. *pulveres resolventes* (59), *murias ammoniae* (60), *tartras stibii*, *et potassae* (61) etc.; neglecto enim resolventium usu, facile contingit, rite monentibus gravissimis auctoribus, ut evacuantia sine fructu porrigantur. In primis vero illis per nychthemerum unum alterumve continuatur, adhibitis simul *clysteribus* pro re nata, ac dein probe determinatur, utrum *emeticum*, an *catharcticum* sit porrigendum. *Emetico* locus est, si generales hujus remedii contraindicationes desint,

(58) §. LV. 10. p. 303.

(59) §. XXX. 10. Not. 73. p. 162.

(60) R. Salis ammoniaci drachmam unam. Solve in libra una aquae fontis. Adde mellis acetati unciam unam.

(61) §. XXX. 10. p. 162.

si os sit amarum, lingua spurca, si cibi omnino respuantur, si ructus nidorosi, nausea, vomituritio obveniant, sique vomitus spontaneus cum levamine contingat. *Solutio tartratis stibii, et potassae* (62), absente diarrhoea, ceteris emeticis palmam praeripit; alias exhibetur *pulvis radicis cephaelidis ipecacuanhae* (63). Peracto vomitu, vel eo non indicato, ad *lenia purgantia* devenitur (64). Sed ne iis abutamur! Si post debitas evacuationes *calor* praecipue aegrum molestet, *acida* tum *vegetabilia* (65), tum *mineralia* (66), praecipue vero *acidum nitricum* (67), utpote probabiliter magis in hepar agens. Versus finem morbi *lenia diapnoica* (68). Deficienti pulsuum vi, sub universali atonia, in morbo provecto *amara*, et

(62) R. Tartari emetici grana tria. Solve in unciis tribus aquae fontis destillatae. D. S. Cap. mox dimidiam partem, et nisi vomitus sequatur, binis vicibus quod remanet.

(63) Dosis a scrupulo ad drachmam semis.

(64) §. LVIII. 24. R. Pulpae tamarindi indicae uncias tres: tartratis potassae drachmas tres: aquae fontis libram unam. D. S. omni secunda hora vasculum semis.

(65) R. Aquae fontis libram unam: acidi tartarosi, syrup. rubi idaei q. s. ad gratum saporem.

(66) §. LVII. p. 348.

(67) §. LV. 15. p. 311.

(68) §. LV. 32. p. 326.

prae ceteris *decoctum radicis columbo* (69). Hic et *vinum*, et cerevisia *fortior*. Excitatis forte nimiis evacuationibus, sub abdominis cruciatibus, aegri inquietudinem compescit *clyster opiatus* (70).

Cura febris biliosae typhodis.

18. In *febre biliosa inflammatoria*, quo recentior morbus, quo floridior aeger, quo major regionis epigastricae ardor, dolor, et tensio, eo tutius *venae sectio* instituitur. Venae sectione haud omnino indicata *hirudines*, vel *cucurbitulae scarificantes* abdomini applicantur. Fovetur praeterea regio epigastrica, et hypochondriaca, inprimis dextra, spongia, vel linteis aqua calida, vel decocto herbae malvae imbutis. Interne propinantur *decoctum radicis* sive *orchidis morionis* (71), sive *althaeae officinalis* (72), vel *seminum lini usitatissimi* (73), aut *emulsio arabica* (74), quibus remediis, *si ventri-*

(69) R. Radicis Columbo drachmas duas. Coque per quadrant. horae c. s. q. aquae fontis. Colat. unciarum novem D. S. omni secunda hora cochlearia duo.

(70) §. LV. 46. p. 339.

(71) §. LV. 33. p. 327.

(72) R. Radicis althaeae unciam unam. Coq. c. s. q. aquae etc. Colat. librae unius, adde Syrupi ejusdem, vel mellis unciam unam.

(73) §. LV. 19. Sed absque camphora.

(74) §. LV. 33. p. 327.

culus id ferat, nube paululum *nitratis potassae*. Magnam quoque hic laudem *oleo*, praesertim *nucleorum amygdali communis*, recenti (75) tribuimus, atque iterum iterumque commendamus, ut memoriae imprimatur, quid de hoc remedio egregii BURSERIUS (76), et HUFELAND (77) dixerunt. Cave autem ab irritantibus, potissimum ab emeticis, saltem donec complicatio inflammatoria deleta sit. Saepius vero *clysteres antiphlogisticos* (78) injice. In genere tutius est alvum sollicitare, quam emesin promovere. Primo illi scopo inserviunt *lenia purgantia* (79). Et *murias hydrargyri*, vel forte potius *unguentum oxydi hydrargyri griseum* abdomini illinitum, hic usurpari merentur; -- qua tamen in re propria destituor experientia.

Cura febris biliosae rheumaticae.

19. Cura *febris biliosae rheumaticae* incipientis ab ea vix memorata haud differt; eo-

(75) R. Olei amygdalarum recentis: mucilaginis gummi mimosae niloticae: syrupi radicis althaeae aa unciam unam: aquae fontis uncias novem.

(76) Instit. med. pract. Vol. I. §. CCCXCV.

(77) *Journal der prakt. Heilkunde*. X. B. 4. St. S. 135.

(78) §. XXX. 5. Not. 56. p. 156.

(79) §. LV. 33. p. 327.

que minus, quo magis symptomata inflammatoria adsunt. Iis tantum devictis, et senescente morbo, *regimini diapnoico* studendum, ac praecipue remedia eligenda, quae, dum in cutem agunt, alvum haud obstruunt (80). Conducit porro et *vesicatorium* ad hepatis regionem.

Cura febris biliosae typhodis.

20. Therapia *febrium biliosarum typhodum* vix aut ne vix quidem ab ea febrium typhodum gastricarum (81) differt. Totus scopus curationis in eo positus est, ut bilis excretio non impediatur, utque per illius excretionem vires non nimis frangantur. *Serum lactis vinosum*, *vel sinapinum* (82), *infusum radicis rhei palmati* cum remediis sic dictis *volatilibus* (83), atque similia egregie hic juvare solent. Vigente ea intricatissima symptomatum complicatione, ut ita dicam, bilioso-inflammatorio-typhode, de qua supra (84), nullum quod sciam remedium, connubio *camphorae*, et *nitratae po-*

(80) Remedia antimonialia, praecipue tartras stibii, et potassae in refracta dosi. §. XXX. Not. 171. p. 161.

(81) §. LVII. p. 348.

(82) Pharmac. Ruthena p. 331.

(83) Aethere sulphurico; liquore subcarbonatis potassae etc.

(84) §. LX. 11. p. 368.

tassae (85) aequiparari potest, quod saepe saepius expertus sum.

§. LXI.

DE FEBRE PITUITOSA.

Scriptores.

1. Febris, cujus descriptionem aggredimur, explanata est a cl. Elsner (86), Van Hoven (87), Sarcone (88), J. P. Frank (89), potissimum autem a cl. Wagler (90), et Reil (91).

Symptomata.

2. Incipit morbus praevio languore, laesaque digestione, horripilatione cum intercurrente calore, cute nunc sicca, nunc, praecipue sub mane, sudoribus partialibus acidum interdum spirantibus, cooperta. Pulsus celer, frequens.

(85) R. Camphorae rasae granum unum: nitratis potassae grana decem. M. D. S. omni secunda hora pulverem talem.
(86) Animadversiones in febres pituitosas. Regiomonti 1789.
(87) *Geschichte eines epidemischen Fiebers. S.* 144.
(88) Op. cit. (§. IX. 3) 2. *Th.*
(89) Epitom. de cur. hom. morb. Vol. I. p. 148.
(90) Tractatus de morbo mucoso, denuo recusus, annexaque praefat. edit. a Wrisbergio. Goett. 783. 8.
(91) Memorabilia clinica. fasc. I. p. 6. -- *Fieberlehre.* 3. *B. S.* 578.

Cuncta symptomata vespertinis horis exasperantur. Interea aegri de capitis gravitate, de aurium susurro conqueruntur, aut stupidi decumbunt. Screatio molesta, continua, interdum muci in filos ductilis. Sapor oris vel nullus, vel salsus, nauseosus. Fauces saepe rubent, ac a muco, interdum suffocationem minitante, vel vomitum, et tussim excitante, vellicantur. Plerumque ardoris sensus a ventriculo per oesophagum ad fauces ascendit. Anxietas, morsus stomachi, flatus, singultus. Regio epigastrica tensa, attactum respuens. Tormina abdominis, diarrhoea mucosa, quasi materiae vitreae. Interdum alvus clausa. Urina jumentosa. Haemorrhoides. Saepe vermes. Provectiori morbo aphthae, miliaria, atque febris typhodis, praecipue lentae symptomata (92), in conspectum venire solent.

Autopsia cadaverum.

3. Testante WAGLERO (93) inflammatio superficialis tubi alimentarii, non quidem totius, sed potissimum ventriculi, et intestinorum tenuium invenitur. Glandulae harum partium tumidae, halone rubro circumdatae, muco repletae, earum ductus excretorii dilatati. Sub-

(92) HUXHAMI op. T. II. p. 78.

(93) L. c. S. 241.

stantia intestinorum crassior. Parenchyma hepatis acinosum. Illorum superficies interna, observante Sarcone (94), muco tenaci, flavescente, vel cinereo obducta. Ita et egregius Reil (95).

Caussae.

4. Disponunt ad febres pituitosas corpus gracile, laxum, diathesis scrophulosa, aetas infantilis, sexus sequior, vita sedentaria, ac ignota epidemica constitutio. Excitant eas temperies frigida, humida, atque inconstans: loca uliginosa, impura, calamitates bellorum, inedia rei frumentariae, esus ciborum crudorum, flatulentorum, corruptorum (96), animi pathemata deprimentia etc. -- Caussam illius proximam in sanguine pituita abundante quaesivere. Omni jure hanc hypothesin cl. Reil (97) vituperat; longe enim probabilius est, pituitam hoc in morbo *effectum secretionis morbosae* sistere.

Diagnosis.

5. Arduum autem et hic est determinare, utrum caussa talem secretionem producens in *febre specifica* locata sit, an illa secretio po-

(94) L. c. S. 141.
(95) L. c. S. 584.
(96) Sarcone S. 19.
(97) L. c. S. 570.

tius effectum febris sive typhodis, sive inflammatoriae, sive rheumaticae, constituat. Febrem pituitosam haud esse specificam contendit cl. Reil (98); atque ita forsan est, dum ad primam illius originem ascendimus. Interea hujusmodi febrem, saltem uti ea in sensus cadit, specifici quid habere, ideoque peculiari examine dignam esse, nemo inficias ibit. -- Dum specifica illa conditio ita constituta est, ut morbus vix, aut ne vix quidem ad aliam febrem revocari possit, dicere licet, *febrem pituitosam simplicem*, alias pro re nata, *inflammatoriam*, *rheumaticam*, *typhodem*, adesse.

Prognosis.

6. Febris pituitosa, nisi indolis typhodis, in personis aliunde visceribus sanis instructis, vix periculum portendit, dummodo non negligatur. Magna tamen muci jactura viam ad tabem sternere potest. Secretio prius in intestinis locum habens, interdum hic supprimitur, ac in alia parte, e. c. in bronchiis occurrit. Aliquando intestina muco orbata inflammantur. Maxima incommoda ab aphthis.

Cura.

7. In febre pituitosa simplici, sequenti modo incedimus. Incipitur cura *muriate ammoniae*,

(98) L. c. S. 569.

lenibus diapnoicis nupta (99). Tardius, absente diarrhoea, ad vinum antimonii HUXHAMI (100) confugitur, alias ad *pulverem ipecacuanhae, et opii* (1). Conquerente aegro de aciditate pituitae ejectae, *magnesia* cum *radice rhei palmati* porrigenda (2). Fortiora purgantia nocent, atque inanis foret pituitae educendae nisus, rite jam monente GALENO (3). Emeticum interdum suffocationis periculum avertit. Senescente morbo inprimis vigente diarrhoea, *emulsio arabica* (4), *radix columbo* (5), *lichen islandicus* (6) etc. Sub majori virium jactura, *camphora*. *Hydrargyrum* semel tantum hoc in morbo ac potius cum damno adhibuimus. Pro victu juscula carnea cum avena, oryza, hordeo decocta, vinum. Si febris pituitosa notam

(99) R. Aquae florum tiliae europeae uncias sex: salis ammoniaci scrupulos duos: syrupi sambuci unciam unam. M.

(100) R. Infusi foliorum salviae officinalis uncias sex: vini antimoniati HUXHAMI drachmam unam; syrupi sambuci unciam unam. M.

(1) §. LV. 4. Not. 44. p. 296.

(2) R. Pulveris magnesiae purae: -- radicis rhei aa drachmam unam. S. Div. in sex partes aequales.

(3) In HIPPOCRATEM de alimento. Comment. III. Charter. ed. T. VI. p. 255.

(4) §. LV. 19. Not. 8. p. 317.

(5) §. LX. 18. Not. 69. p. 374.

(6) §. LVI. 6. Not. 99. p. 345.

diathesis inflammatoriae, rheumaticae, vel typhodis offerret, methodus iis accommodata in auxilium vocanda foret, eoque minor pituitae ratio habenda esset.

§. LXII.

DE FEBRE VERMINOSA.

Notio.

1. De complicatione typhi cum vermibus jam actum est (7); atque de vermibus tubi intestinalis serius ex professo sermo erit (8). Hic *febris* tantum examini subjicietur, cujus potissimum symptoma *vermes*: morbus praecipue infantilis, ad quem imprimis attentionem medicorum excitavit ill. HAEN (9).

Symptomata.

2. Febris verminosa gastricarum aliarum ad instar incipit. Remissionibus ea stipatur, saltem ab initio morbi, conspicuis. Nihilominus somnus vel tunc valde inquietus, saepe pavoribus, stridore dentium, motibus involuntariis convulsivis tum faciei, tum extremitatum perturbatus.

(7) §. LI. 14.

(8) Part. III. Vol. I. Cap. de vermibus.

(9) Ratio medendi P. XIV. p. 139.

Infantes obdormientes ita se gerunt, ac si aliquid deglutire vellent. Matutinis horis moeror, pusillanimitas, oris foetor, lingua albo muco obducta, ptyalismus, nausea, interdum vomitus, apparent. Crescente morbo aegri vires magis magisque franguntur, adspectum ipsi offerunt luridum, oculos circulis lividis circumdatos, genas alternatim rubentes, pallescentes. Stillicidium sanguinis e naribus, ad quas aegri digitos scalpendi gratia continuo admovent. In nonnullis vermes per nares, et os exeunt. Urget interea tussis sicca cum pectoris dolore quasi pleuritico: tenditur ac dolet abdomen. Alvus nunc clausa; nunc aperta: plerumque diarrhoea mucosa, vel mucoso-cruenta *ascarides lumbricoides* vivos, mortuos, putridos exhibens, saepe cum tenesmo. Faeces foetidissimae, non raro lactis coagulati ad instar, vel filamentis obscure viridibus, veluti confervae, circumdatae. Interdum animi deliquia, delirium, aphthae, aphonia. Saepe artuum vagi cruciatus, nonnunquam eorum paralysis. Cutis sicca, ardens. Pulsatio carotidum. -- Febris ita sensim sensimque remissiones exhibet minus evidentes, donec morbus, in graviori saltem casu, in veram transeat febrem typhodem vel acutam, vel lentam: vel alias per diarrhoeam faeculentam, urinam jumentosam, sudorem universalem, vel

et sine critica evacuatione, feliciter convalescentiam attingat.

Caussae.

3. Amplae disquisitioni aetiologiam vermium debito loco (10) submittemus; hic meminisse sufficiat, febres verminosas aetatem infantilem, endemicam, nec non epidemicam constitutionem, gracilem corporis habitum, alimenta cruda, parumque nutrientia, pro caussis agnoscere.

Diagnosis.

4. Consueta difficultas, utrum scilicet morbus, de quo agitur, *specificus* sit, an alterius morbi potius *symptoma*, nos iterum hic premit; nec eam tollere audemus. Interea non aliter hac in re, quam supra, quo loco de diagnosi febris pituitosae sermo fuit (11), judicamus. Posito igitur, febrem verminosam, saltem utpote *varietatem* alterius febris, peculiari examine dignam esse, restat, ut ea ab aliis morbis distinguatur, quo in opere infiniti errores a vulgo medicorum committi solent. Sunt autem morbi, cum quibus febres verminosae facile confunduntur, *hydrocephalus acutus*, *dentitio laboriosa*, et *peritonitis*, aetati infantili communes. Has interim diagnoseos par-

(10) L. c.

(11) §. LXI. 5.

tes, ad alia hujus operis loca (12) remittere coacti sumus.

Prognosis.

5. Periculum febrium verminosarum sane non ita grande, ac ii existimant, qui hunc morbum cum aliis confundunt, aut qui illum modo incongruo pertractant. Verum nec legitima febris, verminosa flocci pendenda; multa enim mala ex earum conversione in typhum, aut in enteritidem instant.

Cura.

6. Magna sollicitudo in hoc morbo curando ponenda, atque delicate omnino incedendum (13). Ingruente aegritudine, vigente febre, in aegro aliunde non exhausto, arteriarum impetum modo consueto temperare, ac ventriculi sensibilitatis rationem habere oportet, cui scopo *nitras potassae* cum *mucilagine gummi mimosae niloticae inservit* (14). Sub minori irritatione eodem pacto *murias ammoniae*, et alvo plus

(12) Part. II. Vol. I. Cap. *De hydrocephalo.* Part. III. Vol. I. Cap. *De dentitione.* Cap. *De peritonitide.*

(13) Formulae sequentes circiter quarto aetatis anno accommodatae sunt.

(14) R. Nitri grana octodecim: mucilaginis gummi arabici drachmas duas: aquae rubi idaei uncias duas: syrupi ejusdem unciam unam. M. D. Sr. Cap. omni hora cochleare infantile (circiter drachmas tres).

quam par est clausa, cum *syrupo fraxini orni* (15). Verum, si regio ventriculi tensionem offerret, attactumque respueret, a salibus omnino abstinendum, totaque morbi cura remedio ex *oleo*, et *mucilagine*, optime animadvertente cl. HUFELANDO (16), committenda, non neglecto *cataplasmate emolliente* ad epigastrium. Si alvus clausa esset, *clysteres* ex lacte, et infuso florum matricariae chamomillae injiciendi. - *Emetico* hic nullo modo locum esse, sponte elucet. Potest autem remedium hujusmodi utique vel incipiente febre propinari, absente inflammatoria illa epigastrii tensione, praesente nausea, vomituritione, lingua spurca etc. Porrigitur sive *radix cephaelidis ipecacuanhae* (17) sive *vinum antimonii* HUXHAMI (18). In debilioribus

(15) Salis ammoniaci grana octodecim: mucilaginis gummi arabici drachmas duas: aquae cerasorum nigrorum uncias duas: syrupi mannae unciam unam. M D. S. etc.

(16) HUFELAND l. c. (§. LX. 18.) R. Olei amygdalarum recentis drachmam unam: mucilaginis gummi arabici drachmas duas: aquae fontis uncias duas: syrupi althaeae unciam unam. M. D. Sr. etc.

(17) R. Radicis ipecacuanhae drachmam unam. Coque c. s. q. aquae per 1/4 horae, colat. unciae dimidiae adde syrupi simplicis drachmas duas. M. D. Sr. capiat cochleatim usque ad vomitum.

(18) R. Syrupi simplicis unciam unam; vini antimoniati HUXHAMI scrupulos duos. M. cap. cochleatim usque ad vomitum.

alvi indicata evacuatio *radice rhei palmati* (19) obtinenda. Hic et fomentatio abdominis à cl. MUSGRAVIO proposita (20) utiliter adhibetur, nec non *clysteres* cum *aloë* (21), et si nervorum turbae simul praesto sint, cum *gummi resina ferulae assae foetidae* (22). Raro in febre verminosa consueti pulveres anthelmintici ex *radice convolvuli jalappae*, *seminum artemisiae contra*, et *muriate hydrargiri* (23) locum inveniunt; plerumque enim nimis irritant, atque alvi profluvium cum virium detrimento gignunt. Possent tamen in usum duci apud aegros sy-

(19) R. Aquae seminum anethi foeniculi uncias duas: syrupi rhei unciam unam. M. cap. omni secunda hora cochleare infantile.

(20) R. Herbae artemisiae absinthii, et rutae graveolentis partes aequales. M. D. S. pro usu externo. (*An essay on the nature and cure of the (so called) worm fever. London.* 1776. Vide etiam *Auserlesene Abhandl. fur prakt. Aerzte. 3. B. S.* 537).

(21) R. Infusi florum chamomillae uncias quatuor: aloës caballinae vitello ovi subactae drachmam semis. M. D. S. pro uno clystere.

(22) R. Assae foetidae vitello ovi subactae scrupulum unum: lactis vaccini uncias quatuor. M. D. S. pro uno clystere.

(23) R. Pulveris radicis jalappae: -- seminum cinae aa grana decem: calomel grana duo. M. D. S. ter de díe pulverem hujusmodi.

stemate nervoso haud multum excitabili praeditos, ac praesente ingenti vermium copia; magna enim sensibilitatis hoc in morbo ratio habenda, inprimis in teneris infantibus. Exhibente febre verminosa indolem typhodem, in *infuso radicis valerianae officinalis* (24), in *liquore succinatis ammoniae empyreumatico* (25), nec non in *moscho* (26) auxilium quaerendum. Dejectis maxime viribus, vigente delirio, vel sopore *sinaspimi* ad plantas pedum. *Balneis tepidis* hic vix favemus. Ad *victum* quod spectat, ab initio febris verminosae solum juscula vegetabilia concedenda sunt, tardius vero vel ex carne. Optimus potus *aqua*, dummodo non valde frigida; si arridet, potus alii supra enumerati (27) concedendi. Aphtharum cura suo loco exponetur (28).

(24) R. Radicis valerianae drachmam semis. Infunde c. s. q. aquae fervidae. Colat. unciarum duarum adde syrupi chamomillae unciam unam. M. Cap. omni secunda hora cochlear infantile.

(25) R. Aquae chamomillae uncias duas: spiritus cornu cervi succinati scrupulum unum: syrupi chamomillae unciam unam. M. etc.

(26) R. Moschi grana quatuor: mucilaginis gummi arabici drachmam unam: aquae menthae uncias duas: syrupi ejusdem unciam unam. M. etc.

(27) §. LV. 10.

(28) Part. III. Vol. I. Cap. de Aphthis.

Caput VI.

DE FEBRIBUS RHEUMATICIS, ET CATARRHALIBUS.

§. LXIII.

DE ARGUMENTO GENERATIM.

Introductio.

1. Morbum explanare aggredior, qui, licet plerumque symptomatibus non adeo gravibus, quam ceterae hucusque recensitae febres, stipatus sit; attamen omni medicorum attentione dignus est. Primo enim notandum, eum vulgarem esse, atque omnibus fere regionibus communem, secundo illius doctrinam admodum in illam inflammationum influere.

Rerum ordo.

2. Febres tum rheumaticas, tum catarrhales *uno capite* amplexi sumus, cum ex eodem fonte originem quodammodo ducant. Hoc interim non impedit, quominus saltem earum doctrina pathologica sejunctim exponatur.

§. LXIV.

DE FEBRE RHEUMATICA.

Definitio.

1. *Febris* continua musculis, eorumque involucris, sive tendinibus, et ossium ligamentis, interdum simul et reconditis visceribus infensa, *rheumatica* dicitur.

Historia.

2. Febrem rheumaticam veteribus non fuisse penitus ignotam, quaedam loca in operibus Hippocratis (29), praecipue autem Galeni (30). et Aretaei (31) aperte docent. Verum accurate hujusmodi morbi notio clarissimis Galliarum medicis Carolo Pisoni (32), Riverio (33), Ballonio (34) etc. debetur.

Symptomata.

3. Praecedit spontanea lassitudo, et gravitas artuum, quae excipiuntur ab horripilatione, cum

(29) Liber de locis in homine.

(30) De differentiis febrium. Cap. VII.

(31) Lib. II. Cap. XII.

(32) Op. cit. (§. IX. 1.) Sect. V. Cap. III.

(33) Op. cit. (Praef. p. XXVIII. Not. 75.) Lib. XVI. Cap. III. de Rheumatismo.

(34) Op. cit. (§. IX. 2.) Tom. IV. Liber de Rheumatismo.

aestu vicissim comparente, ac dein per totum morbi curriculum plus minusve perseverante. Pulsus fit frequens, saepe plenus, durus. Adsociantur sitis, praesertim vero dolor sedem suam variis in locis figens. Occupat nempe pro re nata caput, collum, humeros, brachia, pectus, lumbos, musculos abdominales, extremitatesque inferiores. Quocunque autem in loco dolor hujusmodi sedem sibi vindicet, pars affecta aegre movetur, aut pene immobilis evadit, attactum respuit, interdum tumet, atque rubet. Dolor, de quo agitur, porro talis naturae est, ut vix aut ne vix quidem diu unum, eundemque locum teneat. Verum enim vero nec viscera, uti monuimus, ab eo immunia sunt, praecipue eorum membranae, et inprimis eae, quae fibris muscularibus instruuntur, e. c. vesicae urinariae, intestinorum etc. Item meninges tum cerebrum, tum medullam spinalem ambientes, nec non involucra nervorum. Hic praecipue anxietas, inquietudo maxima esse solent, ac nil communius quam quod excitabiles aegri, e. c. hypochondriaci, deliria, aut alias nervorum turbas patiantur. Febris plerumque vespertinis horis invalescit, remittit sub mane, alias quasi continens. Constanter autem urinae secretio a recto tramite recedit, imminuitur nempe, augetur, vel mutatur, sedimentum tum

roseum, tum puriforme exhibens. Idem fere cum sudore contingit; quamobrem cutis nunc arida, nunc sudore copioso, sive partiali, sive universali, saepe acido, cooperta observatur, in quo ultimo casu interdum miliare exanthema accedit. -- Febris symptomatibus recensitis plus minusve insignita interdum ephemerae sive simplicis, sive protractae adinstar decurrit, alias ad quartam, plerumque autem ad septimam, decimam, decimam quartam, vigesimam primam diem, quin imo ad mensem, vel ultra protrahitur.

Caussae.

4. Nulla aetas, aut corporis constitutio prae ceteris ad febres rheumaticas disponit. Grassatur morbus hujusmodi praecipue vere, et autumno, atque nullo non tempore sub insignibus aëris, et tempestatum ex calida in frigidam, et ex frigida in calidam mutationibus, ventisque repente ex contraria coeli plaga invicem flantibus. Nunquam vero facilius quis in febrem rheumaticam incidit, quam si corpore aestuante, illud, vel illius praecipue partem unam, aut aliam, frigori exponat. Verum et hic consuetudo imperium suum inter certos limites exercet, docente Rossicorum more corpus prius balneo vaporis calidissimo exponentium, ac dein

illico idem nive perfricantium. Inter certos inquam limites, quoniam, ut pluries edocti sumus, et hujusmodi consuetudo non semper absque detrimento locum obtinet. -- *Caussam proximam* febrium rheumaticarum ignoramus. Doctissime quidem quaevis schola circa hoc argumentum hypotheses proprias jactavit, uti videre est apud Fr. Hoffmannum (35); at ni fallimur, sine omni aegrorum profectu. Ipsa communissima opinio, quae pro caussa proxima febrium rheumaticarum *transpirationem suppressam*, declarat, suspecta nobis videtur; saepe enim aegri sub decursu hujus morbi sine omni levamine abunde sudant, quod fieri haud posset, si mali caussa solum in cohibita transpiratione posita esset. Vel quando cutis sicca est, cohibita transpiratio potius *effectum*, quam caussam morbi sistere videtur.

Diagnosis.

5. Quomodocunque res se habeat, febres rheumaticas *morbum sui generis* constituere, pro certo habemus; et sane haud bene tyronibus medici ii consuluisse videntur, qui illas, ac si ad febres sive inflammatorias, sive typhodes pertinerent, silentio fere praeterierunt. Quam-

(35) Op. cit. (Praef. p. XXXII. Not. 16.) Parte secunda. Sect. II. Cap. VIII. §. 9 -- 11.

vis enim febres rheumaticae saepe indolem inflammatoriam, ac nonnunquam typhodem exhibeant, attamen nec uti febres inflammatoriae, nec uti typhodes omnino pertractari queunt, praecipue dum sub simplici, et communi earum forma in conspectum veniunt. Dividimus igitur *febres rheumaticas* in *simplices*, et in *inflammatorias, gastricas*, et *typhodes*. Signa autem diagnostica harum specierum silentio hic praetermittenda esse censemus, quoniam mox infra (quo loco et de discrimine inter febres rheumaticas, et catarrhales sermo fiet) exponentur (36). Ad alium quoque hujus operis locum (37) examen gravis illius quaestionis remittimus, an rheumatismus ab arthritide differat. -- Sufficiat interim ea in mentem revocare, quae circa diathesin rheumaticam, et arthriticam jam tradita fuere (38), atque minime ignorare, differentiam inter rheumatismum, et arthritidem sane non in eo positam esse, quod primus ille musculos cum earum membrana communi, et tendinibus aggrediatur, haec autem in ipsis ligamentis, et articulationibus sedem figat; ex ipsa enim febris rheumaticae tradita definitione (39)

(36) §. LXV. 6 -- 10.

(37) Part. II. Vol. I. Cap. de arthritide.

(38) §. XII. 3. 4.

(39) Num. 1.

patet, morbum indistincte memorata loca afficere.

Prognosis.

6. Periculo vacat febris rheumatica rite curata, atque probe medicus cavere debet, ne ex lamentationibus aegrorum, sensuque gravissimae aegritudinis, quem percipiunt, prognosin pejorem, quam par est, instituat. Interea volubilis morbi natura, qua fit, ut organa interna, atque nobilissima interdum affligantur, itemque possibilis febrium rheumaticarum in typhodes transitus, debitas in morbis acutis praesagiendi cautelas nec hic excludunt. *Crisis* morbi, de quo agitur, fieri solet per sudorem, et urinam, longe rarius per diarrhoeam, aut modo insensibili. Febris rheumatica inflammatoria interdum in rheumatismum acutum transit; in genere, licet raro, in rheumatismum chronicum.

§. LXV.

DE FEBRE CATARRHALI.

Definitio.

1. Febris continua membranam interiorem narium, faucium, laryngis, tracheae, bronchiorumque afficiens, *catarrhalis* dicitur.

Historia.

2. Ante omnia sciendum, febrem catarrhalem esse vel *sporadicam*, vel *catasticam*, vel *epidemicam*, quo in casu vulgo *grippe*, sive *influenza* nuncupatur. De tussi epidemica jam notio habetur apud HIPPOCRATEM (40). Accuratissime febres catarrhales, quae a. 1675 grassatae sunt, delineavit SYDENHAM (41). Ita HUXHAM eas annorum 1738 (42) etc. Generalem febrium catarrhalium ab a. 1510 ad a. 1780 rationem reddidit cl. SAILLANT (43). Historiam tamen hanc haud omnibus numeris absolutam esse, demonstravit eruditissimus medicus germanus (44). Recentiores febrium catarrhalium descriptiones occurrunt apud GRANT (45), MICHELL

(40) Aph. III. 20.

(41) Op. cit. V. p. m. 150.

(42) Op. cit. observationes de aëre, et morbis epidemicis.

(43) *Tableau historique et raisonné des épidémies catarrhales, vulgairement dites* la grippe *depuis* 1510, *jusque et y comprise celle de* 1780. *Paris* 1780. *Samml. auserl. Abhandlungen* IX. *B. S.* 637.

(44) Editor cl. operis: *Samml. auserl. Abhandl. für prakt. Aerzte. S.* 639 Nota.

(45) *Observations on the late influenza etc. as it appeared at London* in 1775 et 1782. *London* 1782. Vid. *Samml. auserl. Abhandl. für prakt. Aerzte* X. *B. S.* 234.

(46), Hamilton (47), Targioni Tozzetti (48), Strak (49), Schonmetzel (50), Crell (51), Metzger (52), nec non in variis diariis medicis (53).

Symptomata.

3. Febres catarrhales ingruunt sensu aegritudinis, ciborum desiderio nunc deleto, nunc aucto, horripilationibus continuis, brevi intercurrente calore, sudoribus partialibus, pulsu frequenti, celeri, oppresso. Accedunt dolor capitis, praecipue ad sinus frontales, vertigo, vigiliae, interdum delirium, vel sopor. Facies tumidula, rubella: oculi turbidi, lacrymantes: albuginea rubore suffusa: aurium tinnitus: na-

(46) *Bemerkungen über das Catarrhalfieber, welches vorzüglich im Junius* 1782 *zu Amsterdam geherrscht hat.* Vid. *Samml. auserl. Abhandl.* VIII. *B.* 1. *St. S.* 14.

(47) *A description of the influenza etc. London* 1782. Vid. *Samml. auserl. Abhandl.* Vol. citat. *S.* 56.

(48) Raccolta d' opuscoli medico-pratici. Vol. VII. Firenze 1783.

(49) Dissertatio de catarrho epidemico anni 1782. Mogunt. 1784.

(50) Constitutio epidemica Heidelbergensis.

(51) Historia catarrhi epidemici a. 1782. Helmst. 1782.

(52) *Beytrage zur Geschichte der Frühlingsepidemie im Jahr* 1782. *Konigsberg.* 8.

(53) *Journal de médecine etc. de Paris.* T. XVI. p. 129. Huffeland's *Journal der praktischen Arzneykunde.* XVII. B.

res siccae obturatae, sternutatio, aliquando epistaxis, odoratus deletus, continua emungendi necessitas, materia e naribus manans acris, alba: narium ostia tument, ita labium superius. Sitis, oris sapor depravatus, vel plane abolitus, lingua albicans: deglutitio parum impedita: rubor superficialis faucium: vox rauca, ardor tracheae, sensus globuli ad guttur, aphthae, tussis nunc sicca, nunc cum sputis mucosis, spumosis, purulentis, cruentis: dolor pectoris sub profunda inspiratione auctus: anxietas, decubitus saepe in unum alterumve latus impeditus: dolor epigastrii: nausea, vomitus: abdomen dolens: alvus obstructa, laxata: urina abnormis, ita cutis interdum miliaribus notata: praeterea saepe nonnulla febrium rheumaticarum symptomata. Febris catarrhalis utplurimum vespertinis horis exasperatur, atque ad dies tres, quinque, septem, duodecim, quindecim, imo ad tres hebdomadas, ad mensem, et ultra extendi solet.

Autopsia cadaverum.

4. Sectis permultis cadaveribus hominum ex febribus catarrhalibus tum sporadicis, tum epidemicis defunctis, constanter inflammationem internae superficiei bronchiorum detexi. Eorum cavitas utplurimum mucum spumosum, non raro sanguine tinctum offerrebat. Ipsa vero

pulmonis substantia omni inflammatione expers erat, si excipiamus externam illorum superficiem hinc inde roseo colore notatam. Nonnunquam serum, vel lympha coagulabilis ad uncias pene multas, in cavitatibus thoracis inveni.

Caussae.

5. *Caussae* febrium catarrhalium sporadicarum, et catasticarum, ab illis febrium rheumaticarum (54) haud differunt; eae vero *epidemicarum* peculiare quid habere videntur. HIPPOCRATIS observatio, quod si siccam aestatem autumnus humidus sequatur, hiemali tempore symptomata catarrhalis expectare liceat (55), ad hanc usque diem confirmatur. SYDENHAMUS febres catarrhales epidemicas ab exhalationibus mineralibus repetiit (56). Plurima revera hujus morbi exempla collegit SAILLANT post terrae motus, et explosiones vulcanicas (57). Alias illum praecesserunt meteora ignea, vel similis morbus inter animalia domestica (58). Recentiores febrium catarrhalium epidemiae sub polo arctico ortum duxerunt, ac sensim sensimque

(54) §. praeced. 4.

(55) Aphor. 13 et 23. Sect. III.

(56) L. c.

(57) *Samml. auserl. Abhandl.* loc. c. p. 652.

(58) HAMILTON l. c. in *Samml. auserl. Abhandl. S.* 56.

per totam Europam serpserunt. Contagium hic saepe latere probabile, at nunquam, quod sciam, demonstratum fuit.

Diagnosis.

6. Febres catarrhales tum *sporadicas*, tum *catasticas* a febribus rheumaticis *sede* tantummodo diversas esse arbitramur, utraque nempe ex eadem diathesi, scilicet rheumatica, pullulare videntur. Saepe revera complicantur; quo in casu febris nuncupari meretur *rheumatico-catarrhalis*. Ad febres vero catarrhales *epidemicas* quod attinet, in iis *specifici* quid, a morbillis forte, et tussi convulsiva non admodum diversi, animadvertimus. Quocunque in casu rectam habebis febrium catarrhalium saltem fortiorum ideam, si eas pro *inflammatione bronchiorum*, sive pro *bronchitide* consideres. Maxime autem interest febres catarrhales a morbis distinguere, cum quibus confundi possunt. Huc pertinet *febris subcontinua*, *febres typhodes*, *morbilli*, *cynanche trachealis*, *tussis convulsiva*, et *peripneumonia*. -- Febres intermittentes *subcontinuas* cum febribus catarrhalibus confundi posse, jam monuimus (59). Ne hujus erroris participes fiamus, praeter jam allata (60)

(59) §. XXVIII. 3.
(60) L. c.

praecipue ad characterem morborum regnantium respiciamus oportet. Idem relate ad *febrem typhodem* dicendum, quae praeterea majorem offert virium jacturam; nisi enim ipsa febris catarrhalis indolem typhodem exhibeat, ea vix unquam tanta virium jactura stipata apparet, ac typhus. Porro suspicio contagii, praesentia peticularum, aliaque hic saepe lucem afferunt. Ceterum si dubium superesset, observatio per diem unam, alteramve protracta illud diluet, ac multum jam in re dubia lucrabimur, si securitatem illam rejiciamus, quae ignorantiae filia esse solet. Interea cavendum, ne febrem catarrhalem, quoniam turbas nervorum prae se fert, ideo ad typhum revocemus. --- Quomodo autem febres catarrhales ab aliis supra enumeratis morbis distinguendae sint, debitis locis (61) dilucidabitur. Hic vero refert ipsas febres catarrhales inter se invicem distinguere, cujus rei gratia eas dividimus in *simplices*, *inflammatorias*, *gastricas*, et *typhodes*. De singulis speciatim.

De febre catarrhali simplici.

7. *Febris catarrhalis simplex* utplurimum sporadice, vel catastice occurrit in hominibus

(61) Part. I. Vol. II. Cap. de morbillis. Part. II. Vol. II. Capite de cynanche tracheali, de tussi convulsiva, de peripneumonia.

aliunde sanis. Symptomata placide decurrunt, nec notam diatheseos sive inflammatoriae, sive alius exhibent.

De febre catarrhali inflammatoria.

8. *Febris catarrhalis inflammatoria* oritur praecipue dum corpus juvenile, plethoricum aestuans ab aëre frigido, sicco alliditur. Item post suppressas haemorrhagias habituales, post neglectam venae sectionem, consuetudinis gratia forte plus minusve indicatam, post abusum liquorum fermentatorum etc. Facies tumet, rubet, tussis urget, urgetque dolor utplurimum circa sextam costam veram. Pulsus viget. Cutis calor auctus. Urina flammea. Proclivitas ad epistaxin.

De febre catarrhali gastrica.

9. *Febris catarrhalis gastrica* praecipue inter pauperes victu crudo utentes, laboribus exhaustos, sed et inter alios gulae indulgentes occurrit. Puerperae facile illi obnoxiae fiunt. Grassatur interdum epidemice. Major solito detegitur virium languor, pusillanimitas, atque inquietudo. Facies lurida, pallida, pulsus frequens, obscurus: calor cutis ardens: nausea, lingua spurca, ne de aliis symptomatibus gastricis (62) loquar. Verum haud reticeri debet,

(62) §. LX. 3.

symptomata gastrica et hic aliquando in errorem ducere, et complicationem tantum apparentem constituere. Vera rerum positio tali in statu difficulter eruitur, nisi indoles morborum regnantium, modus vivendi aegrorum, nec non juvantia, et laedentia, ad trutinam vocentur.

De febre catarrhali typhode.

9. Rarae sunt *febres catarrhales* jam ab initio *typhodes*; plerumque enim eae originem ducunt ex aliis febribus catarrhalibus neglectis, vel male tractatis. Grassantur potissimum autumno, sub iisdem fere rerum positionibus ac febres typhodes lentae (63). Virium jactura summa, aliaque signa gentilitia typhi morbum, de quo agitur, plerumque lente decurrentem comitantur. At iterum iterumque moneo, quod probe cavendum sit, ne ob solas turbas nervorum, inprimis apud infantes, hystericas, hypochondriacos, praepostere febrem catarrhalem pro typhode declaremus. Revoca hic monita alibi tradita (64), ac lege FR. HOFFMANNUM (65).

(63) §. LIV. 1.

(64) Num. 6.

(65) Op. cit. (§. VIII. 2. p. XXXII.) Part. I. Sect. I. Cap. VI. p. 135.

Prognosis.

11. Quamvis febres catarrhales, exceptis typhodibus, valente aliunde in homine, re ipsa morbum periculo destitutum constituant, attamen funerum iis tribuendus numerus pene infinitus; incredibilis enim est phthiseos pulmonalis copia ex neglectis, vel male tractatis febribus catarrhalibus, praecipue iis, quae in hominibus ad phthisin jam praedispositis contingunt. Ad febrem vero catarrhalem typhodem quod spectat, ea per se infensissima, et typho primario plerumque longe pejor, unde merito *maligna* vocata fuit, eoque magis, quoniam diu vix periculnm, quo stipatur, patefacit. --- Si febres catarrhales vel simplices, vel inflammatoriae, vel gastricae, die septima, aut decima quarta per sputa, per liberale stillicidium puriforme e naribus, per sudorem, urinam, vel diarrhoeam non solvantur, inevitabilis fere transitus in naturam typhodem, praecipue favente annua constitutione febribus hujusmodi. --- *Convalescentia*, inprimis post febres catarrhales epidemicas, plerumque mirum in modum lenta ita, ut vix cum duratione morbi praegressi cohaerere videatur. Nonnunquam vel absoluta febre catarrhali, *tussis chronica* relinquitur haud malae semper indolis. Alias tus-

sis chronica a superveniente febre catarrhali profligatur (66) -- Nil autem magis timendum, praecipue in febre catarrhali inflammatoria, quam *exsudatio humoris serosi, vel puriformis* in cavitatem pectoris. Patefit hoc vitium per respirationem longe magis laboriosam, quam ex ceteris symptomatibus expectare liceret, perque signa alia occasione enucleanda (67). Interim legantur circa id *acta* mea *clinica* (68).

§. LXVI.

DE CURA FEBRIUM RHEUMATICARUM, ET CATARRHALIUM.

Prophylaxis.

1. Febribus rheumaticis, et catarrhalibus *sporadicis*, et quodammodo etiam *catasticis*, occurritur fuga caussarum eas excitantium (69). Homines aliunde hisce morbis obnoxii, circa aequinoxia praesertim, hanc sequi debent regulam. Plethora laborantibus, tempestivam sanguinis missionem veteres quidem suadent; at

(66) Acta mea clinica. An. I. Cap. I. p. 30.
(67) Parte II. Vol. II. Cap. de Hydrothorace.
(68) An. II. Cap. X. p. 58.
(69) §. LXIV. 4.

nostris temporibus phlebotomia scopo prophylactico, fere nunquam, nescio quo jure, adhibetur. Laxa constitutione praediti possunt decocto diaphoresin movente, consilio Fr. Hoffmanni (70), uti. Difficile vero est, vel aliquando plane impossibile, nos a febribus catarrhalibus *epidemicis* munire; hic enim cautelae alias adversus contagium commendatae (71), ut plurimum nec hilum proficiunt. Ars medica igitur nullum aliud suppeditare potest consilium, quam secundum consuetudinem, et quoadusque id fieri licet, regulariter vivere, eo scilicet fine, quod si morbus ingruat, saltem ille mitior, et simplicior evadat. Nec spernendae sunt regulae domum matutinis horis ante jentaculum non derelinquendi, corporis superficiem pannis, vel flanella perfricandi, vespere vero potum theae cum tantillo taphiae hauriendi etc.

Cura morbi simplicis.

2. Febris tum rheumatica, tum catarrhalis *simplex* praeter *regimen* nulla fere exposcit auxilia. Maneat aeger domi in cubiculo temperaturae diu noctuque constantis inter gradus duodecim, vel quatuordecim thermometri Reau-

(70) L. c.
(71) §. LV. 3.

muriani. Lectum si petat, ne nimis stragulis sese cooperiat, oportet. In levissima solum febre, morbo incipiente diapnoicis uti fas est, quo in casu infusum sive theae viridis, sive florum vel sambuci nigrae, vel tiliae europaeae inserviunt, vigente tussi, cum vitello ovorum et saccharo (72). Juscula quidem carnea tenuia, avenacea, hordacea, et similia concedi possunt; ast, ut aeger ab ipsa carne, a victu aromatibus condito, vel aliis cibis nimiis abstineat, suademus. In *febre* porro *catarrhali* sileat oportet. Hic pro potu emulsio amygdalina, vel simile quid tussin leniens, cui scopo et *linctus* inservit (73). In *febre rheumatica* absente tussi, optimus potus, aqua cum succo vegetabili subacido (74). Dolores autem aeger hic patienter ferre debet; vix enim illis medentur saltem remedia externa, nisi in levissimo morbi gradu, quo solum in casu frictiones cum *sapone ammoniacali*, vel simili (75), vel cum unguenti althaeae, et camphora (76), conducunt; fortiori enim in malo vix non semper augmentum do-

(72) *Lait de poule.*

(73) R. Mucilaginis gummi mimosae niloticae: syrupi vel adianthi capillorum veneris, vel althaeae aa unciam unam M.

(74) §. LV. 10.

(75) Opodeldoch.

(76) R. Unguenti althaeae unciam unam: camphorae rasae drachmam semis. M.

lorum a frictionibus hujusmodi observatur. Si enim tali sub rerum conditione locale quaeris auxilium, applica potius in viciniis loci dolentis *hirudines*, vel super ipsam partem *cataplasma emolliens* tepidum. Petente aegro in febribus tum rheumaticis, tum catarrhalibus simplicibus remedia interna, formulae nonnullae praesto esse debent, saltem ad illius impatientiam temperandam. Ut vero simul aliquod levamen afferant, illis nitras potassae misce (77), et abstine a maturo usu *diapnoicorum*, quibus vulgus medicorum hodiedum iterum ita abuti solet, quasi tempora alexipharmacorum reversa essent; diapnoica enim in febribus rheumaticis, et catarrhalibus fortioribus solum indicata sunt declinante, et senescente morbo, praesertim si ipsa natura ad sudorem inclinet, et tunc mitissima eligi debent (78). Alvus clausa quotidie clystere sollicitanda. Pediluviis hujusmodi in febribus non favemus.

Cura morbi inflammatorii.

3. Indicatio in febre rheumatica, et catarrhali *inflammatoria* in eo versatur, ut morbum ad simplicitatem reducamus. Ad indicationem hujusmodi adimplendam *regimini re-*

(77) §. LV. 14.
(78) §. LV. 4. 32.

frigeratorio plus adhuc quam in simplici febre studendum. Quoad pharmaca magni hic facimus *nitratem potassae* spatio nychthemeri ad drachmas duas tresve adultis suppeditatum. Debita dosi (79) et infantibus idem remedium eodem in morbo conducit; minus hystericis, et hypochondriacis. In *febribus rheumaticis*, nisi dolores maxime urgeant, et loca dolentia tumoris, atque rubedinis vestigia offerant, aut aegri constitutio valde robusta, et plethorica sit, ad *venae sectionem* non facile confugimus. Contrarium in *febribus catarrhalibus* indolis inflammatoriae. Hic enim nobilitas partium affectarum, ac potissimum conditio inflammatoria bronchiorum phlebotomiae auxilium exposcunt; nam eo neglecto, vel sero nimis adhibito, irremediabilia mala inde sequuntur. Indicant potissimum venae sectionem dolor pectoris constans, tussis inanis, respiratio laesa, ne iterum de constitutione aegri loquar. Copia sanguinis educendi inter uncias septem, et libram unam. Non raro occasio sese offert, venae sectionem reiterandi, qua de re legatur divus SYDENHAM (80). Peracta una, alterave phlebotomia, vel ea haud omnino indicata, *cucurbitulae scarificantes* de-

(79) §. LXII. 6.
(80) L. c.

cem, vel duodecim pectori, vel dorso admotae egregium praestant effectum. Fatemur autem, remedium hujusmodi nec foeminis, nec infantibus adaequatum esse, maxime e contra rusticis, militibus, et hominibus vulgi. Primis illis *hirudines*, scilicet in febribus catarrhalibus ad thoracem, in rheumaticis circa loca maxime dolentia apponendae. Juvat denique in utraque febris varietate, magis tamen in febribus rheumaticis, quam in catarrhalibus, deleto inflammatorio morbi impetu, alvum leniter movere, cui scopo consueta pharmaca (81) inserviunt, donec morbus ad simplicitatem perductus sit, et secundum regulas allatas (82) pertractari possit.

Cura morbi gastrici.

4. *Febres rheumaticae*, vel *catarrhales gastricae* levi saepe opera per *emeticum* mature porrectum ad simplicitatem reducuntur, atque jucundum visu, morbum interdum adspectu tam gravem, oculi ictu, ad consuetum tramitem ita revocavi. Hoc inprimis de febre *catarrhali* gastrica valet. Emeticum pectoris dolorem, tussim, anxietatem hic auferre, atque habitum aegri omnino mutare, quin immo im-

(81) §. LV. 33.
(82) 2.

minentis suffocationis periculum, a nimia scilicet pituita bronchia obruente, simul cum stertore avertere solet. Omnino hac in re nostrae observationes cum illis PRYNGLII (83), DOUBLE (84), aliorumque conveniunt. Remedium, cujus ope tam magnum operamur miraculum, est, absente diarrhoea, *solutio tartratis stibii, et potassae* (85), alias pulvis radicis cephaelidis ipecacuanhae; si arridet et *mel acetatum radicis scillae marinae* (86). *Purgantia* in genere in febre catarrhali, quamvis gastrica, minus conducunt; vires enim frangunt, sputaque supprimunt. Interea et hic exceptiones haud desiderantur. Si in febre vel rheumatica, vel catarrhali indicationes pro emeticis, et purgantibus non omnino evidentes cernuntur, tutissime *tartras stibii, et potassae* in refracta dosi adhibetur (87), quod incomparabile remedium simul transpirationi prospicit. Ceterum regimen uti in febre biliosa (88).

(83) *Kranckheiten einer Armee. S.* 145. *ff.*

(84) L. c. §. praecedent. 2.

(85) §. LX. 17.

(86) Oxymel scillae cochleatim cum infuso theae ad vomitum usque.

(87) §. XXX. 10. Not. 70.

(88) §. LX. 17.

Cura morbi typhodis.

5. Methodo hucusque contra varias species febrium rheumaticarum, et catarrhalium tradita, earum transitus in typhodes saepe antevertitur. Praesente vero jam malo, omni contentione curandum, ut aegro periclitanti succurratur. In febre quidem *rheumatica* typhode periculum non adeo urget, atque hic vix alia indicatur medendi methodus, ac ea adversus febres typhodes rheumaticas commendata (89). Longe autem aliter est in febre *catarrhali* typhode, in qua cura ob id potissimum difficilis esse solet, quoniam remedia virium sublevandarum gratia adhibita, pectoris affectioni plerumque adversantur, et viceversa. Ut tantae difficultati occurratur, summa aegrorum constitutionis ratio habenda. Si haec fuerit florida, et robusta, remedia ut dicunt *excitantia* caute suppeditanda, atque illis pro re nata antiphlogistica methodus praemittenda. Nec methodus hujusmodi in macilentis aegris omnino excluditur, vigente pulsu. Hirudines, et cucurbitulae scarificantes ad pectus plerumque securius hic venae sectione adhibentur, nisi indicatio pro ea evidens sit. Febris ceterum iisdem regulis,

(89) §. LV. 32.

quas in cura febrium typhodum exposuimus (90), curanda. *Antimonium* (91), *radix polygalae senecae* (92), *camphora* (93), *sub-carbonas ammoniae empyreumaticum* (94), *moschus* (95), et *vesicatoria* praecipua hic sistunt remedia. Aetheri sive simplici, sive alcoholisato vix locus est, quoniam tussin excitare solet. In genere vero aegri medicamentis nimis activis haud obruendi; saepe enim tempus, ac mitissima pharmaca, e. c. sic dicta demulcentia, longe magis prosunt. Ad tussin, devicto jam febris impetu, leniendam, extractum hyoscyami nigri, vel opium, praecipue radici cephaelidis ipecacuanhae junctum (96) egregie conducit. Tunc enim, praesertim in diuturno morbo,

(90) §. LV.

(91) Vinum Huxhami (§. LV. 32.) Oxydum stibii hydrosulphurati praecipitati ad granum unum omni secunda, vel tertia hora. Obstat antimonio diarrhoea.

(92) §. LVI. 6. Obstat et hic diarrhoea.

(93) §. LV. 19. Jungitur camphora et sulphuri aurato antimonii e. c. aa ad granum unum.

(94) R. Decocti radicis orchidis morionis (§. LV. 33.) libram unam: spiritus cornu cervi drachmam unam. M. Cap. omni secunda hora vasculum semis coffeanum.

(95) §. LV. 20.

(96) R. Extracti hyoscyami, vel opii gummosi grana duo: ipecacuanhae granum unum: gummi arabici pulverati grana decem. M. D. S. talem dosim ter de die.

spasmodici quid saepe latere, non ignorandum. -- Raro a vaporibus aqueis ope spongiae, vel machinae auctore MUNGES (97) attractis, ad tussin compescendam, vel ex sicca in humidam commutandam levamen obtinui; augebantur enim plerumque pectoris angustiae. Ea tamen interdum utiliter adhiberi docet MONROI (98) experientia.

Convalescentia.

6. *Convalescentes* ex febribus rheumaticis, et catarrhalibus vicissitudines atmosphaerae, et in genere caussas, a quibus morbus excitatur (99), vitare debent. Regula hujusmodi maxime eousque sequenda, quousque constitutio epidemica febribus istis favet. Qui eas indolis inflammatoriae perpessi sunt, abstineant diu a liquoribus fermentatis, a victu nimis nutriente, aliisque rebus diathesi inflammatoriae faventibus, saltem nisi per methodum nimis debilitantem in atoniam lapsi fuerint. Convalescentibus ex febribus catarrhalibus typhodibus regulae supra expositae (100) adaptantur.

(97) *Treatise on the medical and expeditions cure for a recent catarrhus-cough. London* 1779.

(98) Observations. Vol. II. p. 31. 32.

(99) §. LXV. 5.

(100) §. LVI.

§. LXVII.

DE FEBRE CATARRHALI INFANTUM.

Notio.

1. Quamvis doctrina hic tradita et *febribus catarrhalibus infantum* adaptari possit; attamen haud supervacaneum existimamus, hoc argumentum sejunctim breviter ad trutinam revocare; febris enim catarrhalis morbum sistit aetati infantili admodum communem, nec ipsis lactentibus parcens.

Symptomata.

2. Ingruit morbus cum tussi somnum impediente, et levi febre noctu, sub qua tamen infantes consuetam hilaritatem saepe non mox amittunt. At, elapsa una, alterave die, calor febrilis, interdum admodum urens, supervenit. Jam tussis majori vi saevit: accidit sternutatio, narium occlusio, oculorum lacrymantium rubor. Os calet. Aegrotulus vix ad ubera admotus, ea sub continuo vagitu, tussin magis magisque excitante, respuit; arduum enim illi est, clausis naribus, repletoque per papillam ore, spiritum ducere. In genere respiratio anhelans, at sat raro revera difficilis. Sub fortiori tussi saepe vomitus apparet, et quidem plerumque cum

levamine; liberatur scilicet pectus a muco illud obruente. Pulsus frequentissimus, duriusculus, saepe debilis. Vigente morbo, facile meteorismus accedit, nec non interdum sive alvi, sive urinae retentio, aut diarrhoea faeces exhibens viridescentes, caseosas, flavescentes. Interdum sopor, motusque convulsivi. Cuncta symptomata certis, et determinatis horis vicissim nunc remittunt, nunc invalescunt. Plerumque febris, ephemerae sive simplicis, sive protractae instar, decurrit. Alias ad septimam diem, et ultra protrahitur. Tussis saepe permanet diu.

Caussae.

3. Mirum est, caussam constitutionis epidemicae febrium catarrhalium usque ad cubicula infantilia, licet optime custodita, penetrare. Quin immo, epidemias catarrhales nonnunquam inter infantes primum comparuisse, et tardius tantum adultos invasisse, compertum habemus. Sporadice infantes in febres catarrhales incidunt ob vestium levitatem: ob morem pectore, brachiis, scapulisque denudatis incedendi: ob inspiratum aërem nocturnum, vel vespertinum, praecipue in locis humidis, e. c. hortis: ob madefactos pedes: ob temperiem inaequalem cubiculorum, praecipue ob eorum nimium calorem: ob translationem incautam infantum ex uno cubiculo in aliud etc. Porro tussi laborante

nutrice, facile proles in febrem catarrhalem incidit.

Diagnosis.

4. Febres catarrhales in epocha dentitionis cum *dentitione laboriosa* confundi possunt: ita in genere cum ingruentibus *morbillis*, cum *tussi convulsiva*, cum *peripneumonia*, vel cum ipsa *cynanche laryngea*. Quomodo vero ab hisce morbis eaedem distinguendae sint, debitis tradetur locis (1). Quoad *naturam* febrium catarrhalium infantum, ea est, nisi *simplicem* constituant morbum, *inflammatoria*, et *gastrica* Provectiori morbo saepe spasmodici quid subintrat. Constitutio infantum, vires, quibus instruuntur, et effectus methodi adhibitae, diagnosin hic adjuvant.

Prognosis.

5. Non sine conspicuo periculo occurrit febris catarrhalis in infantibus, praecipue circa epocham dentitionis, aut si aegrotuli praeter modum graciles sint. Nec pulsuum frequentia, nec caloris gradus hic tanti momenti est, quam respiratio, quae quidem sine imminenti periculo anhelans esse potest, at nunquam impedita.

(1) Part. I. Vol. II. Cap. de morbillis. Part II. Vol. I. Cap. de tussi convulsiva. Cap. de peripneumonia. -- Cap. de cynanche laryngea.

Cura.

6. Antiphlogistica methodus, quo citius id fieri potest, in auxilium ducenda. Respiratio impedita, nisi *venae sectionem*, saltem *hirudines* ad thoracem exposcit; calor autem, et pulsus irritatus, *nitratem potassae* (2), et si alvus lenta fuerit, *syrupum succi inspissati fraxini orni* (3). Conducunt porro, et multum conducunt *epispastica* sive ad crura, sive ad suras. -- Elapsa irritationis periodo, *diapnoica* (4). Si tenax pituita pectus *tunc* obruet, *emeticum* (5). Diu porro noctuque recens nati, hujusmodi morbo laborantes, custodiendi, ut illis sub tussis nisu succurratur; alias enim suffocari possent. Regimen diaeteticum ex dictis elucet (6); ita illud convalescentum.

(2) §. LXII. 6. Not. 14.

(3) Ibid. Not. 15.

(4) R. Aquae florum tiliae europaeae uncias duas: syrupi florum sambuci nigrae unciam unam. M. D. (adde, si opus est, liquoris acetatis ammoniae drachmam unam).

(5) L. c.

(6) §. LXVI.

Caput VII.

DE FEBRIBUS INFLAMMATORIIS.

§. LXVIII.

DE ARGUMENTO GENERATIM.

Definitio.

1. *Febris continua* potissimum cordis, arteriarum, aliorumque vasorum sanguiferorum actionem extollens, *inflammatoria* dicitur.

Notio.

2. Re ipsa in omni fere febre actio cordis, et arteriarum aucta cernitur, nec falsum forte de febribus judicium institueretur, si eae quotquot sunt tanquam species febris inflammatoriae considerarentur. Et revera influxum diatheseos inflammatoriae in febres tum intermittentes, tum continuas, sive typhodes, sive gastricas, et catarrhales silentio hucusque haud praeterivimus. Utcunque res sit, nil impedit, quominus hic febris, quae longe magis quam ceterae vires cordis, atque arteriarum extollit ita, ut in iis primaria morbi sedes fere quaeri liceat, sejunctim exponatur. Febris quidem in-

flammatoria raro *simplex* est; plerumque enim stipatur *inflammationibus partialibus*, *exanthematibus*, nec non *haemorrhagiis*. Occurrit tamen vel simplex, praecipue sub forma *ephemerae*, quin immo haud dubitari potest, multas febres, quae serius indolem typhodem exhibent, ab initio inflammatorias genuinas fuisse. -- Quanti igitur momenti doctrina febrium inflammatoriarum sit, fusius ostendere supervacaneum reor.

§. LXIX.

SYMPTOMATA.

Prodroma.

1. Nisi febris inflammatoria extemplo hominem aggrediatur, praeceduut illam sensus torporis, et inquietudinis, noctes somniis perturbatae, capitis gravedo, vertigo, aurium sussurrus, sitis, appetitus nunc deletus, nunc auctus, calores fugaces, dolores quasi rheumatici artuum, lumborumque, interdum sanguinis stillicidium e naribus, aliaque incommoda minus constantia.

Constitutiva.

2. Febris ipsa *frigore*, plerumque sat intenso, incipit. Succedit calor universus, magnus

quidem, sed attactui amoenus. Corporis volumen augetur. Cutis nunc arida, nunc sudore sive universali, sive partiali cooperta. Pulsus constans, plenus, durus, aliquando oppressus. Facies, ac universum corpus rubent, oculorum acies augetur: nares, os, lingua, et labia siccescunt: urgent sitis, cephalaea, vigiliae, deliria, sopor. Vibrant arteriae carotides, et temporales. Respiratio fit anhelosa, intercurrente tussicula. Urina pauca, ignea, alvus obstructa. Saepe haemorrhagia spontanea, vel saltem sanguinis stillicidium. *Sanguis* quomodocunque eductus *crusta* sic dicta *phlogistica* obduci solet, illius placenta mollior est, albumen, et serum sanguinis minus ab alcohole, vel a calore coagulantur, sed commutantur in materiam lacteam, pultaceam (7). Remissiones hac in febre vix observari solent. Solvitur morbus, quacunque demum die, plerumque post unum, alterumve nychthemerum, copiosa haemorrhagia vel narium, vel ani, vel alia, aut per sudorem, per urinam sedimento largo puriformi instructam, per alvi profluvium, per somnum, vel per *metastasin*. Alias morbo *inflammatio partialis* adsociatur, ita ut novo dein nomine

(7) Parmentier *und* Deyeux *Abhandlungen über das Blut.* Vid. Reil's *archiv für Physiologie.* 1. *B.* 2. *Heft. S.* 5.

e. c. encephalitidis, cynanches, peripneumoniae, enteritidis etc. insigniatur. Vel postremo febris inflammatoria in typhodem transit.

§. LXX.

CAUSSAE.

Praedisponentes.

1. Praedisponunt ad febres inflammatorias aetas infantilis, juvenilis, et media: sexus masculinus: corporis structura robusta, florida, plethorica: evacuationes consuetae, praecipue cruentae citra debilitatem suppressae: diaeta lauta animalis, inprimis vigentibus ventriculi viribus: usus liquorum fermentatorum: tempus hyemale, vernale, ac ignota saepe atmosphaerae constitutio.

Excitantes.

2. Pleraque enumeratarum caussarum pars, si majori vi agat, vel febres inflammatorias excitat. Huc praecipue pertinent frigus siccum, aquilo, vel euro-aquilo, verum non ubique locorum, et multo minus in regionibns septentrionalibus (8). Sane ignoti quid, nec facile per

(8) Sub rigidissima hyeme, thermometro R. per hebdomadas inter gradum vigesimum tertium, et vigesimum nonum sub congelationis puncto fluctuante, morbos inflammatorios in

electricitatem explicandum (9), in ea atmosphaerae constitutione latet, quae febres inflammatorias non solummodo in iis, qui ad eas praedispositi sunt, excitare possit, sed et in aliis adspectu debilibus, et exhaustis, plus vice experti sumus. Contagia febres inflammatorias producere posse probabile est; verum quoad *simplices*, haud demonstratum. Frequentissime autem his ansam porrigunt aestuatio corporis, animi pathemata violenta, intensio nimis facultatum animi, vigiliae etc.

Lithuania vix conspexi, saltem non crebrius quam ceteris anni temporibus. Nec qui ibi occurrunt, morbi inflammatorii tanta vi saeviunt, ac observaveram in Germania meridionali, et praesertim in Italia septentrionali; hisce enim in regionibus frigus vel leve, dummodo siccum, facile morbos, de quibus sermo est, excitat. An ob id forsan, quod improviso plerumque ingruat? An eo, quod incolae rigidis auris non adsueti sint? An potius quod contra ab ignoto fere hoste minus sese munire sciant? -- Quomodocumque res se habeat, hae nostrae observationes iis cl. Moseley additae, quae scilicet docent, morbos inflammatorios regionibus tropicis communes esse, meridiana luce clarius ostendunt, quantum maxima pathologorum pars in determinandis effectibus morbosis frigoris, et caloris hucusque erraverit.

(9) Hopf Diss. sistens rudimenta theoriae de principio febres inflammatorias epidemicas gignente. Tübing. 1794.

Proxima.

3. Caussa proxima febris inflammatoriae non minus quam ea aliarum febrium ignoratur. Quaevis schola et hic sibi proprias hypotheses effinxit (10); quae tamen singulae feliciter plus minusve ad unam, veramque medendi methodum conducunt.

§. LXXI.

DIAGNOSIS.

Signa gentilitia.

1. Plerumque diagnosis febrium inflammatoriarum non ardua, saltem pro medico ab hypothesibus immuni, licet nec eae signum habeant, quod pathognomonicum dici queat. *Frigus fortius* eo, quo communiter febres *continuae* incipiunt, primam suspicionem de illarum indole inflammatoria movet. Confirmatur hujusmodi suspicio a *calore* cutis aucto quidem, at raro urente, sive mordace, porro aequaliter super totum corpus diffuso: per *cutem* rubellam, saepe sudore calido roratam: per *sitim* a potu calido adauctam, sedatam a frigido: per *urinam* paucam, igneam, sedimento

(10) Pfaff *über thierische Electricitat und Reizbarkeit. S.* 284.

puriformi instructam: per *pulsum* constantem, durum, plenum, vel oppressum, raro crebernimum, quin tamen exemplo DARWINI terminum hic statuere audeamus: per proclivitatem morbi ad inflammationes partiales, vel ad haemorrhagias. *Sanguinis* in febre inflammatoria notas quidem exposuimus (11); at sane nil inconstantius, saltem si judicium ex sanguine e vena ducto feratur, qua in re observationes cl. HEWSON non ignorandae (12). Verum hoc nequaquam nos deterrere, sed immo calcaria addere debet, ut qualibet oblata occasione, observationes circa sanginis sic detracti indolem colligamus. *Halitum* in febribus inflammatoriis calidiorem esse, vulgo narratur. At eum saepe frigidiorem observavimus, dum scilicet respiratio ita crebra erat, ut aër inspiratus ante exspiraretur, quam ad temperiem pulmonis accedere potuisset.

Caussarum examen.

2. *Caussarum examen* etiam ad diagnosin conferre, monuimus; at caute judicandum, et quidem praecipue relate ad caussas praedisponentes. Retinendum enim hic est, sexum qui-

(11) §. praecedente 2.

(12) Experimental inquiries. London 1772. Etiam *Samml. auserl. Abhandl. S. B. 2. St. V. B. 2. St.*

dem masculinum, habitum corporis robustum, floridumque, non parum ad febres inflammatorias disponere; ac non desiderari exempla permulta febrium hujusmodi in gracilibus, atque pene exhaustis corporibus grassantium (13).

De morbis cum quibus confundi potest.

3. Febris inflammatoria cum *febre typhode*, et cum *febre intermittente* complicatione inflammatoria stipata confundi potest. Ab illa interdum difficulter distinguitur, saltem primo intuitu, nisi summa ratio tum virium, tum symptomatum contradictionis habeatur, quae scilicet ambo longe magis febri typhodi inflammatoriae, quam febri genuinae inflammatoriae propria esse solent. Tandem ad suspicionem *contagii* respiciendum, quae, si confirmaretur, de febre typhode vix dubium superesset; nobis saltem hucusque nulla febre inflammatoria *simplex* obvenit, in qua contagii indicia apparuissent. *Febris intermittens inflammatoria* a *continua* ejusdem indolis distinguitur per apyrexiam, vel saltem per remissionem conspicuam, per frigus pluries rediens, ne de constitutione annua, vel epidemica sermonem instituam.

(13) Acta mea clinica, A. I. p. 86.

Complicationes.

4. *Complicationes*, quas febres inflammatoriae inire queunt, haud difficulter ex iis intelliguntur, quae de febrium hucusque descriptarum complicationibus cum diathesi inflammatoria tradidimus.

§. LXXII.

PROGNOSIS.

Generatim.

1. Febris inflammatoria simplex, nec neglecta, nec male curata, morbum periculi expertem sisteret, si illius *reliquiae*, et *metastases* haud timendae forent. Quamobrem prognosis semper esto cauta.

Reliquiae, metastases.

2. *Reliquiae* febrium inflammatoriarum facilius intelligentur ex iis, quae infra de exitu inflammationum (14), et debito loco (15) de inflammatione vasorum sanguiferorum, in medium allaturi sumus. Apparebit tunc, multa vitia conformationis, praesertim plurimos tumores, porro

(14) §. LXXVII.

(15) Part. II. Vol. II. Cap. de morbis cordis, et vasorum sanguiferorum.

aneurysmata etc. praegressae febri inflammatoriae, licet interdum levissimae, adscribenda esse. *Metastases* nulla in alia febre tam facile contingunt, quam in inflammatoria, et quidem nonnunquam uno oculi ictu. Praevio dolore summo, sine praegressis vestigiis inflammationis, abscessus ad varias corporis partes illico ortos vidimus, videruntque alii, ita ut vix dubitari possit, puriformem materiam hic in abscessu repertam, in ipsis vasis sanguineis elaboratam, et dein in peculiarem locum translatam, et depositam fuisse. Per se quoque patet, hujusmodi *translationes* nunc ad partes nobiles, nunc ad minus necessarias contingere (*Metastasis* vel *mala*, vel *bona*). Primo in casu interitus inopinate sequi potest, vidimusque multis abhinc annis metastasem talem ad testes in aegro prius levi, ut videbatur, febre inflammatoria affecto, paullulum vero post defuncto.

Morbus neglectus.

3. Ad febrem vero inflammatoriam neglectam, vel male curatam quod spectat, haec periculosa evadere potest tum supervenientis inflammationis partialis gratia, tum ob transitum aegritudinis in febrem typhodem, quae hoc in casu plerumque maxime periculosa esse solet.

§. LXXIII.

CURA.

Prophylaxis.

1. *Cura prophylactica* febrium inflammatoriarum in remotione caussarum hunc morbum excitantium consistit. Huc praesertim pertinent vitatio liquorum fermentatorum, vigiliarum, motus nimii in hominibus aliunde floridis, robustis, et irritabilibus.

Cura invasionis.

2. Ingruente morbo cavendum, 1.° ne vires hic potius *oppressas*, quam fractas erigere conemur: 2.° ne ob dolores rheuma simulantes ad methodum diapnoicam confugiamus, et 3.° frigori, quo morbus plerumque incipit, calefacientia cujuscumque demum generis opponamus.

Regimen.

3. In leviori mali gradu, praesertim in ephemera, unum regimen ad curam absolvendam non raro sufficit; temperatura scilicet duodecim circiter graduum thermometri R.: vitatio lecti, aut saltem stragulorum nimis copiosorum: victus parcus, vegetabilis inprimis ex fructibus tum recentibus, tum coctis: potus subaci-

dus (16), copiosus: quies animi, corporisque, obscuritas modica etc. Haemorrhagiae spontaneae haud cohiberi debent. Cephalalgia fomento frigido ad frontem (17), et pediluviis ex aqua tepida, et muriate sodae, sedanda. Lotionem, vel adspersionem ope aquae frigidae hic non suademus, tum ob experientiae defectum, tum, ne forte inflammatio partialis exinde oriatur.

Pharmaca.

4. In leviori morbo optimum pharmacum *nitras potassae*. In *leviori*, inquam, morbo; nam in forti febre inflammatoria vel sal hujusmodi nocet, priusquam vis diatheseos inflammatoriae ope venae sectionis fracta sit. Idem de *muriate ammoniae* dicendum. Si alvus segnior fuerit praeter *clysteres antiphlogisticos*, pulpa sive *tamarindi indicae*, sive *pruni domesticae*, vel *supertartras potassae* exhibenda. Fortiora autem purgantia in febribus inflammatoriis plerumque cum damno propinantur.

Venae sectio.

5. *Venae sectio* in febre inflammatoria *simplici*, non nisi imperante id summa necessitate, indicatur. Consistit hujusmodi necessitas, ne de constitutione annua, vel aegrorum mor-

(16) §. LV. 10.
(17) §. XXX. 5.

bis inflammatoriis faventibus loquar, in cerebri, pulmonum, aliorumque viscerum affectione inflammationem minitante, nec non in pulsu constanti, pleno, duro, oppresso. Copia sanguinis detrahendi in homine adulto, circiter libra una. *Parva* venae sectio nobis unciarum septem, *magna* unciarum quindecim. Locus venae sauciandae consuetus, brachium. Debet autem laesio venae ita constituta esse, ut sanguis largo flumine exire possit. Necessitas venam repetitis vicibus secandi in febre inflammatoria simplici raro occurrit: occurrit vero, dum morbi vis a prima phlebotomia non satis frangitur, immo quasi augetur, saltem quoad pulsuum vigorem. Nec infantilis aetas venae sectioni aliunde indicatae adversatur. Plerumque tamen hic in febre simplici inflammatoria *hirudines* illius locum tenent. Hujusmodi animalcula utiliter vel apud adultos hic adhibentur, ad tempora ob cephalaeam, vel ad nares, anum, vaginam, si forte suppressio epistaxeos, haemorrhoidum, et catameniorum morbo ansam porrexerint.

Acida.

6. Devicto maxima ex parte inflammatorio morbi impetu, apparente majori debilitate cum pulsu nihilominus adhuc irritato, et calore corporis aucto, ad *acida mineralia* (18) devenire licet.

(18) §. LV. 15.

Diapnoica.

7. *Regimen diapnoicum* ultimum momentum curationis in febribus inflammatoriis esse, multi docuerunt; at quaque die magis magisque de falsitate hujusmodi praecepti convincor, saltem nisi rheumatici quid lateat; nil enim magis devictam diathesim inflammatoriam revocat, quam regimen diapnoicum. Attamen, si sudor revera criticus prorumperet, inconsultum foret eum debitis auxiliis non sustinere. *Vesicatoria* silentio praetereo, quoniam omnino diathesi inflammatoriae adversantur. Non semper ita *epispastica.*

Cura metastaseos.

8. Contingente *metastasi* ad *partem externam*, haec cataplasmate emolliente, vel anodyno fovenda, ac abscessus secundum regulas chirurgiae curandus. Ceterum probe examinandum, utrum febris inflammatoria vel tunc adhuc continuet, nec ne? Primo in casu ab irritantibus abstinendum. Item de *metastasi interna* dici debet, quae porro duo egregia auxilia in *foliis digitalis purpureae*, et in *mercurio* agnoscit; ita, deleta jam inflammatoria diathesi, in *vesicatoriis*, *fonticulis*, *setaceis* prope partes affectas. Nec usus *florum arnicae montanae* (19),

(19) §. LV. 17.

et radicis *polygalae senecae* (20) hic silentio praetereundus est, de quo gravi argumento fusius infra (21).

Convalescentia.

9. Convalescentiae febris inflammatoriae idem fere regimen accommodatum est, quod in leviori morbo commendavimus. Sane nil magis perniciosum quam hic, virium instaurandarum gratia, victum nutrientem, vinum, amara, martialia, aliaque similia suppeditare velle, quorum ope facile deleta vix febris de novo in perniciem aegrorum accenditur. Hujusmodi remediis solum tunc indulgere licet, si forte ob nimias venae sectiones, aut alias evacuationes, vires ultra, quam par erat, fractae fuerint.

(20) §. LVI. 6.
(21) §. LXXVIII. 3.

APPENDIX

DE INFAMMATIONIBUS IN GENERE.

§. LXXIV.

DE ARGUMENTO GENERATIM.

Observatio.

1. Doctrina generalis inflammationum objectum tum pathologiae, tum therapiae generalis sistit. Quamobrem nec scopus hujus operis exigit, nec ejusdem limites permittunt illud hic, quo par est modo, pertractare. Nihilominus, quoniam generalem ideam principiorum, secundum quae doctrinam inflammationum specialium traditurі sumus, habere juvabit: idcirco non inutile existimamus, compendiosam illorum imaginem, ac quasi doctrinae prospectum paucis exponere.

Momentum doctrinae.

2. Dignitatem doctrinae inflammationum extollere, plane supervacaneum: unicuique nempe patet, inflammationes non solum vulgatissimum morborum genus, sed et scaturiginem, ex qua magna pars morborum chronicorum originem

et in *universalem*, sive *secundariam*; juxta *sedem* in *externam*, et *internam*; juxta *durationem* in *acutam*, et *chronicam* etc.

Inflammatio localis.

3. *Inflammatio localis* sive *primaria* ea est, quae ex irritamentis tum mechanicis, tum chemicis originem trahit, cujusque caussa in parte affecta unice locata est. Occurrit nunc cum *orgasmo*, nunc cum *atonia* partis affectae. Si *febris* eam comitatur, *symptomatica* est, ac pro varia aegrorum, annuaque constitutione, nec non secundum variam durationem, et vim morbi nunc *inflammatoria*, nunc *gastrica*, nunc *typhodes*, nunc *simplex*, id est sui quasi generis, et mere *consensualis*.

Inflammatio universalis.

4. *Inflammatio universalis*, sive *secundaria* ea est, quae ex diathesi generali nascitur, atque *symptoma* morbi totius corporis constituit. Hujusmodi inflammatio sistit pro re nata progeniem diatheseos inflammatoriae, rheumaticae, gastricae, typhodis, atonicae, periodicae, scrophulosae, scorbuticae, arthriticae, carcinomatosae, venereae etc.

Observatio.

5. Ad *inflammationes primarias* a secundariis distinguendas notio caussae morbum pro-

ducentis maxime confert. Et nosse juvat, utrum morbus omnino in parte inflammata inceperit, an vero illi affectio universalis praegressa sit? -- Ad *inflammationes secundarias* vero inter se invicem distinguendas praecipue exacta requiritur diathesium notio, nec non ea characteris gentilitii unicuique inflammationi quodammodo proprii. Cum autem character gentilitius uniuscujuscumque inflammationis pro varia structura organi affecti saepe differat, arduum est signa diagnostica generalia variarum specierum inflammationum tradere. Attamen, concessis multifariis exceptionibus, sequentia in genere statuere licet.

Inflammatio ex diathesi inflammatoria.

6. Communissima inter *inflammationes acutas* ea censenda, quae ex diathesi *inflammatoria* pullulat, quaeque *vera* nuncupari solet. Dignoscitur per signa diathesi, potissimum autem febri inflammatoriae, communia (40). Pars, in quam morbi vis inprimis irruit, vehementer et tota inflammatur: maxime exinde functio illius laeditur, ac, nisi malum acmen attigerit, quo scilicet in casu pars affecta arescit, copiose exsudat serum, vel materiam puriformem in

(40) Cap. VII. §. LXVIII.

pneumonia, nunc enteritis etc. catastice, vel epidemice regnantes. Organa externa magis ad inflammationem disposita sunt, quam interna: minus ossa, cartilagines, tendines, et ligamenta, quam tela cellulosa, membranae adiposae, et viscera.

Excitantes.

2. Excitant inflammationes caussae tum *locales*, tum *universales*. Ad primas spectant *irritamenta* vel *mechanica*, vel *chemica*; ad secundas *variae diatheses*, et hinc singulae caussae, quae eas generare valent.

Proxima.

3. Ill. Burserius docte de hypothesibus veterum circa caussam proximam inflammationum rationem reddidit (31). Ceterae apud Cullen (32), Brown (33), Bichat (34), Marcus (35), Troxler (36), Walther (37) etc. inveniuntur.

(31) Institut. med. pract. Vol. I. p. 1 -- 74.

(32) *Anfangsgründe der prakt. Arzneykunst. T.* I. p. 279 -- 318.

(33) *The elements of medicine, or a translation of the elementa medicinae Brunonis, with large notes, illustrations and comments by the author of the origin. work. Lond.* 788. 8. §. 205. ss.

(34) Supra vid. §. LXXIV. Not. 23.

(35) Op. cit.

(36) *Ideen zur Grundlage der Nosologie und Therapie. Jen.* 1803. 8.

(37) *Physiologie des Menschen.* 2. *B.*

§. LXXVII.

DIAGNOSIS.

Generatim.

1. *Diagnosis* inflammationum *externarum* secura; dummodo ea non ex solo *rubore* desumatur, quo scilicet in casu inflammatio cum ecchymosi confundi posset. *Internarum* autem inflammationum diagnosis multis interdum premitur difficultatibus, et quidem ob duplicem caussam; nunc enim multa inflammationis symptomata, quin inflammatio revera adsit, in conspectum veniunt: alias inflammatio latet, quin ea per consueta sua signa sese prodat, *inflammatio* scilicet *occulta*, de qua inter alios cl. WEINHOLT (38) consulatur. Verum caute de praegressa inflammatione ex sectionibus cadaverum judicandum, rite momente et cl. REIL (39).

Divisio.

2. Inflammatio juxta varium illius *gradum* dividitur in *erysipelaceam*, et in *phlegmonosam*: juxta *indolem* in *localem*, sive *primariam*,

(38) Diss. de inflammationibus occultis. Goetting. 1772.
(39) Op. cit. 2 Th. p. 324.

Tumor.

4. *Tumor*, quo multae inflammationes stipantur, est vel ciscumscriptus, vel diffusus, nunc superficialis, nunc profundus, variae formae pro varia partium affectarum figura, interdum mollis, plerumque durus.

Dolor.

5. *Dolor* plus minusve omnem inflammationem, saltem recentem, còmitatur. Hoc vel in partibus contingit, ante inflammationis adventum vix aut ne vix quidem sensibilibus, e. c. in membranis nonnullis, in ossibus etc. Est autem dolor varii generis, pruriens nempe, urens, pungens, obtusus, distendens, comprimens, pulsans, terebrans, continuus, remittens, periodicus, externus, internus.

Secretio perturbata.

6. *Secretio* normalis partis inflammatae vel aboletur, vel augetur, vel mutatur. Hoc ultimo in casu e parte inflammata emanat vel serum, vel lympha coagulabilis, vel materia puriformis, vel cruor.

Pseudo-membranae.

7. Multiplices effectus ex hac lympha coagulabili, vel materia puriformi observantur.

De iis fusius infra (29). Hic sat erit animadvertere, ex materia puriformi vel *novas* generari *membranas* dictas, vulgo *pseudo-membranas*, easque, ut cum HUNTERO (30), SOEMMERRINGIO, aliisque vidimus, vasis sanguineis, quae mercurio injici possunt, instrui.

§. LXXVI.

CAUSSAE.

Praedisponentes.

1. Nulla corporis constitutio ab inflammationis periculo immunis dici potest; quaevis enim constitutio peculiari generi inflammationis plus minusve subjicitur. Interdum *hereditario jure* unum, alterumve organum, dispositionem ad inflammationem offert, vidimusque familias, in quibus inflammatio cerebri, aliasque, in quibus ea hepatis singula fere individua aggrediebatur. Nec aliter *clima* ad inflammationes quorundam viscerum disponere, docent inflammationes oculorum Aegypti, et illae hepatis Indiarum. Influxum *annuae constitutionis* in peculiarium viscerum inflammationibus excitandis comprobant nunc cynanche, nunc peri-

(29) §. LXXVII. 4.

(30) Op. cit. 2 Th. 1 Absch. p. 162.

nanciscitur, constituere. Nil igitur magis confert ad hos rite dijudicandos, quam absoluta illarum notio.

Scriptores.

3. Priusquam autem nos ad argumentum, de quo agitur, accingamus, debitum grati animi tributum viris insignibus, qui praecipue nostro aevo doctrinam inflammationum perfecerunt, persolvendum esse censemus. Quamvis enim doctrina hujusmodi necdum absoluta sit, nec forte brevi absolvi possit: attamen maxime eam excoluerunt JOANNES HUNTER (22), BICHAT (23), J. P. FRANK (24), CHESTON, ABERNETTY, GAUTIER (25), SMITH (26), WEDEKIND (27).

(22) *Versuche über das Blut, die Entzündungen etc. aus dem Engl. Leipzig* 1797. 8. Vol. 2.

(23) *Anatomie génér. appliquée à la physiologie et à la médecine. Paris* 1801. Vol. 1. p. 496. ff. Translatum in linguam germanicam in *Samml. auserl. Abhandl.* XXI. Pa. 1. p. 83. ss.

(24) Epitome de cur. hom. morb. T. II. §. 121 -- 137.

(25) Diss. de irritabilitatis notione, natura et morbis. Hal. 1793. 8. §. 19.

(26) Vid. Medical communications. Vol. II. Num. 19. ubi classificatio nosologica inflammationum occurrit.

(27) *Allgemeine theorie der Entzundungen und ihrer Ausgange. Leipzig* 1791. 8.

§. LXXV.

SYMPTOMATA.

Inflammationis indicia.

1. Consensu omnium inflammatio adesse dicitur, si pars quaedam corporis humani praeter modum rubeat, caleat, tumeat, doleat, patiaturque secretionis perturbationem. Sunt igitur rubor, calor, tumor, dolor, et secretio perturbata, signa constitutiva inflammationis.

Rubor.

2. Pars inflammata *rubet*, qualiscunque illius color ante ortum inflammationis fuerit. Rubor hujusmodi est pro re nata coccineus, splendens, aequalis, diffusus, circumscriptus, superficialis, profundus, lividus.

Calor.

3. *Calor* partis inflammatae nunc ab aegro, nunc vel ab extraneo locum affectum tangente percipitur. Confirmatur nonnunquam a thermometro (28). Est vero calor hic ardens, urens, mordax, superficialis, penetrans.

(28) Hunter op. cit. 2 Th. 1 Absch. p. 144.

materiae puriformi tribuendum videtur, quae scilicet dum in contextum cutis, aut viscerum deponitur, atque haud absorbetur, *duritiem* gignit olim immerito pro scirrho declaratam, ac multa saepe incommoda procreantem, quod tum ex difficultate motus partis induratae, tum ex impedito in ea circulo sanguinis, tum ex nervorum influxu imminuto explicare licet. In organis cavis materia puriformis ea saepe *angustat*, vel *replet*, ac ita officio proprio absolvendo plus minusve incapacia reddit. Alias materia puriformis in pseudo-membranam desinens, partes vicinas inter se invicem *morbose jungit.* At non satis. Pseudo-membranae, utpote vasis sanguineis, et vita instructae, crescunt, vegetant, ac *partes abnormes* producunt, varios scilicet *tumores cysticos*, *sarcomatosos* etc. Hujusmodi tumores, tractu temporis forte influxu vitae destituti, lentam mortem, et putredinem subire, ac instar aliarum partium animalium sine accessu aëris putrescentium, in materiam *adipo-ceream* (*steatoma*) mutari videntur (46).

(46) Foetus in ovariis evoluti, ac demortui, exceptis eorum crinibus, osse petroso, et interdum dentibus, in materiam adipo-ceream commutari, pluries observavi. Unum exemplum hujusmodi continetur in *actis* meis *clinicis* anno I. p. 119.

Hydrops acutus.

5. Si vigente inflammatione magna copia seri, sive simplicis, sive cruenti, vel materiae puriformis exsudet, atque ob partium structuram evacuari nequeat, oritur collectio fluidi morbosi, *hydrops* scilicet (saltem in sensu lato) qui ob acutam originem omni jure *acutus* dici potest. Hydrops hujusmodi sive serosus, sive cruentus, sive purulentus, ab initio sane potius *comes*, quam exitus inflammationis est; at cum saepe, vel ea devicta, remaneat, nil impedit, quominus vel inter *exitus* inflammationum suscipiatur. -- Liquidum hydropem acutum constituens non semper liberum; nonnunquam enim *pseudo-membranis includitur*, quod speciem *hydropis saccati* constituit. Si liquidum tali sacco contentum ex materia puriformi constet, atque saccus ipse volumen conspicuum referat, tumor facile pro *abscessu* haberi potest, a quo tamen ob id differt, quod, illaesis aliunde visceribus, extare potest. Alias, dum scilicet liquidum *serosum* est, atque pseudo-membrana illud continens tenuis, et parvae extensionis, nonne tunc *hydatidem* constituit?

Suppuratio.

6. Nullis comparentibus resolutionis indiciis, *suppuratio* expectatur, si symptomata remit-

lulantes. In hisce complicationibus eruendis magnum sane studium poni debet; at nullo pacto hoc objectum generatim tractari potest. Idem de influxu *spasmorum* in inflammationes censemus.

§. LXXVIII.

PROGNOSIS.

Generatim.

1. Inflammationes morbum saepe periculi plenum sistunt, et id praecipue ob earum sequelas. Verum interdum salutare, et beneficum tum naturae, tum artis instrumentum constituunt. In genere prognosis inflammationum ab earum sede, indole, et duratione pendet. Omnes inflammationes sequentes agnoscunt exitus: *resolutionem*, *hydropem acutum*, *suppurationem*, *exulcerationem*, et *gangraenam*. Praeterea cujuscumque organi inflammatio propriam, et peculiarem fere exhibet exitum.

Resolutio.

2. *Resolutio* est vel *perfecta*, vel *imperfecta*. In *resolutione perfecta* morbus omnino aufertur ita scilicet, ut nec in parte prius inflammata, nec in reliquo corpore vestigium perpessi morbi relinquatur, si excipiamus saepe

opportunitatem, porrecta levi caussa, in pristinum morbum incidendi. In *resolutione imperfecta* inflammatio quidem evanescit, ast vel per metastasin, vel relicto in parte inflammata sive incommodo, sive germine aliorum morborum.

Resolutio perfecta.

3. *Resolutio perfecta* inflammationum ab earum sede, caussa excitante, indole, et curatione pendet. Porro ad resolutionem perfectam illarum saltem inflammationum obtinendam, sub quarum decursu multa materia puriformis exsudat, vigor vasorum lymphaticorum requiri videtur, ad absorptionem scilicet liquoris extravasati perficiendam. Ad *crisin* inflammationum quod attinet, ea in inflammationibus secundariis acutis, potius crisin *febris*, quam inflammationis sistere videtur. Rem probabiliter ita se habere docet, ni fallimur, finis inflammationum non febrilium, sive chronicarum, sine crisi.

Resolutio imperfecta.

4. Dum *resolutio imperfecta* metastasi, sive translatione terminatur, ea quoque consuetum febrium phaenomenon exhibet. Alias quidem inflammationem evanescere diximus, at relinquendo in parte antea inflammata incommodo, vel germine futuri morbi. Utrumque malum

Inflammatio periodica.

11. Legitima *inflammatio periodica* socia febrium intermittentium observatur. Apparet vigente paroxysmo, evanescit plus minusve accedente apyrexia. Exitus hujusmodi inflammationis varii: atque vehementer suspicamur, nonnullas sequelas febrium intermittentium occultis inflammationibus, sub paroxysmis vigentibus, adscribendas esse.

Inflammatio scrophulosa.

12. *Inflammatio scrophulosa* signis gentilitiis diatheseos scrophulosae (44) insigniri solet, ac praecipue in organis occurrit, quibus diathesis hujusmodi prae ceteris infensa cernitur. Est ea plerumque chronica, aut habitualis, doloris saepe fere expers, in suppurationem lentam, et exulcerationem specificam proclivis.

Inflammatio scorbutica.

13. *Inflammatio scorbutica*, diatheseos scorbuticae soboles, nunc chronicae, nunc acute decurrit. Character illius multum cum diathesi atonica commune habet, excepta magna proclivitate ad exulcerationem specificam foedam, et depascentem. Cavendum praecipue, ne inflammatio scorbutica cum ecchymomate confundatur.

(44) §. XII. 10.

Inflammatio arthritica.

14. *Inflammatio arthritica* utplurimum chronica observatur. Distinguitur ab aliis hujus generis ob magnos cruciatus, quibus stipari solet. Ceterum cum chronicis aliis inflammationibus id commune habet, quod facile habitualis fiat. Vagatur libenter ex uno loco in alium. Terminatur saepe ope secretionis materiae calculosae, osseae magnam in partibus antea inflammatis debilitatem relinquens.

Inflammatio carcinomatica.

15. Partes scirrhosae potissimum ab *inflammatione carcinomatica* prehenduntur. Est ea chronica, dolentissima, ac citissime in specificam exulcerationem transiens, ex qua ichor acris, depascens scaturit.

Inflammatio venerea.

16. A contagio specifico gignitur inflammatio venerea, plerumque chronica, et tunc interdum vix dolens, noctu aucta, nunc primaria, nunc secundaria, saepe cum aliis syphilidis symptomatibus alternatim apparens, evanescens exulcerationem specificam procreans.

Inflammationis complicatio.

17. Quemadmodum diatheses inter se complicantur (45), ita et inflammationes ex iis pul-

(45) §. XIII.

pseudo-membranas pronam; alias nisus ad suppurationem, rarius ad gangraenam observatur.

Inflammatio rheumatica.

7. Inflammatio ex *diathesi rheumatica*, quae communis quoque, et plerumque acuta est, praeter signa diatheseos, et febris rheumaticae (41), id commune habet, quod sedem suam saepe mutat, quod maxime membranis, et musculis infensa est, quod doloris plus quam ex gradu inflammationis expectare liceat, procreat, quod etiam in exsudationem, et in ejusdem sequelas, praesertim in adhaesiones morbosas prona observatur, minus tamen in suppurationem, et vix, aut ne vix quidem in gangraenam.

Inflammatio gastrica.

8. *Inflammatio gastrica*, citra signa diathesi, et febri propria (42), adspectum erysipelaceum exhibere solet. Dolor plerumque minor, quam in inflammationibus hucusque recensitis. Mane evidenter remittit, exacerbatur ad vesperas. Si pars visui sese offerat, rubor potius lividus conspicitur. Inflammatio istiusmodi vix ad exsudationes proclivis, potius vero ad transitum in inflammationem typhodem.

(41) Cap. V. §. LXIV. 3.
(42) Cap. VI. §. LX. 3.

Inflammatio typhodes.

9. Occurrit autem *inflammatio typhodes,* seu *maligna*, vigente febre typhode, plerumque provecto sub morbo. Est ea superficialis, parum doloris generans, nisi forte ab attactu, et saltem si externa, profunde, et ex livido rubra, splendens. Vix pars hujusmodi inflammatione laborans secretionem morbosam exhibet, si excipiamus liquidum acre locum affectum depascens. Facillime sequitur gangraena.

Inflammatio atonica.

10. Atoniae multum inflammationem typhodem offerre procul dubio est; attamen ob id non est cum *inflammatione ex atonia* confundenda. Haec enim longe minus periculi portendit, atque longe aliter terminari solet. Inflammationes atonicae plerumque chronicae, et habituales. At observantur etiam sub forma morbi acuti, quo in casu praecipue ex inflammatione, ut dicunt, vera, sive ex rheumatica, male curata, aut neglecta, originem nanciscuntur. Pars inflammatione atonica correpta in genere minus calet, ac rubore livido potius notatur. In hac praeterea saepe signa diatheseos atonicae universalis occurrunt (43). Inflammatio hujuscemodi saepe induratione, et exulceratione terminatur.

(43) §. XII. 5.

tant quidem, at non omnino evanescant, sique pars inflammata externam forte superficiem corporis occupans, dura evadat, ac in medio acuminata cum dolore pulsante. De absoluta hic suppuratione testantur tumor albicans, et mollis, nec non fluctuatio. In inflammationibus autem *internis* ad suppurationem exinde natam concludimus ex signis cuique organo propriis, ex oedemate partium contiguarum, maxime vero ex febre suppuratoria, vel hectica.

Febris hectica.

7. *Febris* suppurationes comitans, *suppuratoria*, vel *hectica* pro re nata dicta, plerumque levi frigore horis pomeridianis invadit. Vidimus tamen et forti frigore matutino tempore invadisse (47). Excipitur frigus a calore urente genas, volas praecipue occupante, cui sudor nocturnus, et sedimentum puriforme in urina succedunt. Pulsus vespertinis praesertim horis creber, celer, non raro vibrans. Diu perseverante febre suppuratoria, corpus emaciatur, succedit diarrhoea, ac oedema. Caussa proxima febris suppuratoriae latet; latet scilicet, utrum puri resorpto, an irritamento locali, an virium jacturae adscribenda sit. -- Febres hu-

(47) Acta mea clinica ann. I. p. 99.

jusmodi cum febribus intermittentibus confundi posse, et ab iis probe distinguendas esse, jam monuimus. Illarum prognosis pro varia suppurationis sede, et morbi diuturnitate, aegrorumque constitutione varia, non raro lethalis.

De pure generatim.

8. Puris origo, ejus indoles, ac modus illud ab aliis humoribus distinguendi, objectum sistunt aeque memorabile, ac difficile, in quo praeter auctores jam allatos (48), pene inutiliter insudarunt, at non minus bene meriti viri, GRASHUIS (49), DARWIN (50), BRUGMANS (51), SALMUTH (52), GRASMEYER (53), HEBENSTREIT (54), HEIL (55) et GRUITHUISEN (56).

(48) §. LXXIV. 3.

(49) De generatione puris. Amstelodami 1747.

(50) *Experiments establishing a criterion betwen mucaginous and purulent matter. Lichtfield* 1780. Translata in *Samml. auserl. Abhandl. für prakt. Aerzte. 6. B. 2. St. S.* 231.

(51) Dissertatio de pyogenia, sive mediis, quibus natura utitur in creando pure. L. B. 1785.

(52) Diss. de diagnosi puris. Goett. 1783.

(53) *Abhandlung von dem Eiter und von den Mitteln, es von allen ahnlichnen Feuchtigkeiten zu unterscheiden. Gotting.* 1790. 8.

(54) *Zusatze zu* BENK. BELL's *Abhandlung von den Geschwüren und deren Behandlung. Leipzig* 1793. 8.

(55) Op. cit. 2. Th. p. 248.

(56) *Naturhistorische Untersuchungen swischen Eiter und Schleim, durch das Mikroskop.* 1809. 4.

Origo puris.

9. Pus ex carne fieri, purulentum vero ex sanguine, vetustas docuit (57). Primam illam opinionem non pauca infringunt argumenta. En potiora: 1.° Nulla observatur saepe proportio inter jacturam substantiae, et copiam puris in abscessu collecti. 2.° Ulcera artificialia saepe diu sine substantiae jactura suppurant. 3.° Puris ope partes amissae potius regenerantur, obtineturque: ita sanatio ulcerum multorum. Et 4.° fibrae musculares, vel tela cellulosa non facile puri assimilantur, saltem aperto vel abscessu maturo, partes illae saepe inconsumptae puri innatant. -- Grashuis originem puris ex adipis solutione repetiit, alii ex corruptela lymphae stagnantis, quarum hypothesium falsitatem clare celeb. Hebenstreit (58), Brugmans (59), et Reil (60) demonstrarunt. Non defuerunt porro medici (61), qui in ea versabantur opinione, pus generari in universa massa sanguinis, ac dein ad partem unam, alteramve de-

(57) Hippocrates de alimento.

(58) L. c. p. 48. 50.

(59) L. c. p. 58.

(60) L. c. p. 252.

(61) De Haen rat. med. P. II. C. 2. Platner suppl. in J. Z. Platneri institut. chirurgiae P. I. p. 35.

poni. Opinio hujusmodi pulcherrime quidem de metastasibus purulentis rationem reddit (62), nullo vero pacto de transitu inflammationum in suppurationem; exceptis enim metastasibus, de quibus sermo est, rite animadvertentibus et Huntero (63), et Richtero (64), pus non aliter, quam praevia inflammatione secerni potest. Cl. Reil abscessum pro organo considerat puris secretioni ita dicato, sicuti hepar, et renes secretioni bilis, et urinae. Quomodocumque sit, probabile saltem est, pus eodem pacto in abscessu secerni, uti lympha coagulabilis vigente inflammatione. -- Quaenam autem sanguinis pars pus largiatur, arduum est determinare. Cl. Reil existimat, pus ex albumine, et fibra sanguinis fieri, quae opinio ab experimentis Grenii (65) confirmari videtur. Cl. Hebenstreit vero, et Brugmans puris fontem in gelatina sanguinis quaesivere (66); at quantitas gelatinae in sanguine adeo parva, ut difficulter ex ea origo puris explicari possit.

(62) §. LXXII. 2.

(63) L. c.

(64) *Chirurg. Biblioth.*

(65) Chemie Th. II. S. 43c.

(66) L. c.

Puris indoles.

10. Pus bonum, sive laudabile est liquor uniformis, opacus, ex albo flavescens, consistentiae cremoris lactis, aquae specificam gravitatem superans, sapore miti, et fere dulci instructus, frigefactus odoris expers, nec acidi, nec alcali liberi notas offerens, in aqua haud solubilis. Hae ipsae notae non solum puri ex abscessu scaturienti, sed et materiae puriformi, inflammationis effectui, propriae sunt. Identitas hujusmodi qualitatum physicarum sane suspicionem movet, nullam differentiam re ipsa inter liquida illa locum habere. Confirmatur ea ab analysi chemica; irritis enim omnibus laboribus, nullum hucusque *criterium* detegere licuit, quod pus a materia puriformi distinguere posset. Quae criteria a cl. DARWIN, SALMUTH, et GRASMEYER proposita fuere, solummodo valent ad *mucum* sive a pure, sive a materia puriformi distinguendum, cui scopo et sensus nostri sufficiunt. Hisce omnibus ad trutinam vocatis, in ea nunc versamur sententia, nullum reale discrimen inter pus, et materiam puriformem intercedere, ambo scilicet esse effectum secretionis morbosae, amboque ad partes amissas regenerandas, vel ad novas producendas niti, et pro re nata, nunc cum, nunc sine *ex-*

ulceratione occurrere. Quoniam autem multum interest, quocumque in casu secretio hujusmodi sese patefacit, determinare, utrum pus *cum*, vel *sine exulceratione* secernatur, brevitatis caussa in decursu hujus operis, per *pus* semper intelligemus pus, quod *cum* exulceratione secernitur, et per *materiam puriformem*, pus *sine* exulceratione, sola scilicet inflammationis gratia secretum.

Exulceratio.

11. Sicuti pus vel exulceratione generari potest, ita non omnis exulceratio pus largitur. Largiuntur illud exulcerationes, sano aliunde in homine, vel vigente diathesi sive inflammatoria, sive rheumatica, contingentes. Ceterae vero exulcerationes aliarum diathesium soboles, vel nullum largiuntur pus, vel materiam olim quidem pro pure corrupto (*ichor*, *sanies*) habitam, nunc vero, ni fallimur, pro liquido sui generis declarandam. Est autem ichor, sive sanies liquidum tenue, acre, cruentum, foetidumque. Et hic occasio observandi sese offert, exulcerationes externas saepe *scalam*, ut ita dicam, status totius corporis sistere, nec non indicium, ex quo interdum sat tuto ad indolem latentis morbi concludere licet. Sane non mirum, si exulceratio, vigente aliunde prospera valetudi-

ne, vel diathesi inflammatoria, pus largiens, mutata diathesi, ingruente scilicet atonia, vel febre typhode, saniem stillet, quin hic affectus mutatae conditionis organi secernentis, corruptelae puris adscribendus sit. Nec mirandum, quamlibet demum inflammationem in homine alia diathesi, e. c. scorbutica, vel venerea, laborante, exulcerationem generare mixtae saepius indolis. -- *Characteres gentilitios* variarum specierum exulcerationum hic silentio praeterimus, quoniam de iis in decursu operis debitis iu locis mentio fiet.

Gangraena.

12. Inflammatio gangraenae periculum minatur, dum ea indolis sive gastricae, sive typhodis, sive scorbuticae, sive arthriticae est, aut si a caussis mechanicis, vel chemicis oriatur, praecipue si orgasmus, et dolores fuerint vehementes, atque pars inflammata valde sensibilis. Absoluti transitus inflammationis in gangraenam signa sunt cessatio subitanea dolorum, virium jactura, facies hippocratica, extremitates frigidae, pulsus creber, filiformis, intermittens, mentis serenitas. Si gangraena fuerit externa, clare apparet, partem inflammatam calorem, et sensibilitatem amittere, epidermidem a cute plurimis in locis recedere, vesiculasque

sero repletas oriri. Gangraenam et sine praevia inflammatione saepe locum habere posse, omnibus notum.

§. LXXIX.

CURA.

Generatim.

1. Therapia inflammationum pro varia morbi indole diversa, ac omne studium in remediis rerum positionibus accommodatis eligendis, ponenda.

Cura inflammationis localis.

2. In *inflammatione locali* caussa inflammationem excitans ante omnia abigenda, si hoc sine magna partis inflammatae irritatione fieri queat, alias vel involvenda, decomponenda; et quocunque in casu illius deleterii effectus temperandi. Si nulla adsit febris consensualis, praeter remedia localia, vix alia requiruntur. Sunt autem hujusmodi remedia localia, alia in *inflammatione recenti cum orgasmo,* alia in *inflammatione senescente cum atonia.* In *prima illa* evacuatio sanguinis in vasis capillaribus partis affectae immediate contenti, ac verisimiliter generalibus circuli legibus non subjecti potissimum est remedium. Obtinetur hujusmodi

evacuatio applicando debitum numerum *hirudinum* prope partem inflammatam. Sane nisi vacca *vaccinum* suppeditaret, animal desideraretur, quod respectu medico, in tantum generis humani beneficium redundaret, prae vili, a primo intuitu, hirudine. -- Loco hirudinum interdum *cucurbitulae scarificantes* adhiberi possunt. Nonnunquam *scarificatio* ipsius partis inflammatae requiritur. Praeter sanguinis depletionem pro re nata repetitam, nil in inflammatione recenti, et cum orgasmo magis conducit *applicatione frigoris*. Accedit *acetas saturni*, pro usu externo innocentissimum remedium. Nec simplex *acetum* virtute hic destituitur. -- Quo primum vero inflammatio localis acmen attingit, ac tensionem partis cum summo dolore offert, a frigore abstinendum, et in *calore* auxilium quaeri debet, sub forma *fomentationum*, ut vulgo dicunt, *emollientium*, et *anodynarum* adhibito. Hic et *opium* princeps remedium. -- In *inflammatione locali chronica cum atonia* applicatio quidem *acetatis saturni* iterum locum saepe invenit, at *alcoholi* nupti. Hujusmodi remedium tum purum, tum *camphorae* junctum, magni certe hic momenti. Ita plurimae *herbae aromaticae* vino decoctae. Alias autem calor humidus nocet, *siccus* vero prodest. Adhibetur ope lin-

teorum, farinarum, herbarumque variarum calorico imbutarum. Si *febris consensualis* inflammationem localem comitetur, et *simplex* sit, ea per methodum morbo primario accommodatam, nec non per regimen, quietem scilicet, nutrimenta pauciora etc. sedatur. Si autem febris hujusmodi fuerit *inflammatoria*, sive *gastrica*, sive *typhodes*, secundum regulas jam traditas curanda; semper tamen memores simus, febrem hujusmodi non sistere primarium morbum.

Cura inflammationis symptomaticae.

3. Longe autem aliter res se habet in *cura inflammationis symptomaticae*, in qua therapia naturae febris accommodanda. Hoc vero non impedit, quominus simul, si fieri liceat, ad remedia localia, praecipue ad depletionem sanguinis ope hirudinum deveniatur. Nec febris omnino ita curanda, ac si inflammationis partialis expers esset. Inprimis enim hic exsudationum, et earum sequelarum periculum resolutionis imperfectae minitantium, ratio haberi debet, quae singula saepe saepius usum tum *mercurii*, tum *foliorum digitalis purpureae*, tum *radicis polygalae senecae*, tum *florum arnicae montanae*, tum *vaporum aqueorum*, tum *vesicatoriorum* etc. exposcunt, ut in decursu hujus operis apparebit.

Cura inflammationis exitum.

4. Et quid adversus varios *inflammationum exitus hydropem* scilicet *acutum*, *suppurationem*, *exulcerationem*, *gangraenam* etc., operandum sit, in speciali illorum doctrina exponetur; principia enim generalia hujuscemodi doctrinae fere omnino ad chirurgiam spectant. Hic solum therapiam *febris suppuratoriae*, sive *hecticae* dilucidabimus, ne serius ad multas hac in re repetitiones cogamur.

Cura febris hecticae.

5. *Febris suppuratoria*, sive *hectica*, cum sit effectus alterius morbi, curam potius fucatam, quam radicalem admittit, sive exposcit. Haec ultima enim omnino a therapia vitii localis, partis scilicet suppuratae pendet. Varii autem sunt modi febrem suppuratoriam, sive hecticam leniendi. Si aeger fuerit robustus, juvenis, succi plenus, et morbus recens, *regimen antiphlogisticum* conducet, nec excepta *venae sectione*. Ea vero ob virium jacturam contraindicata, nil magis irritationem, qua hujusmodi aegri laborare solent, infringit, quam *acida mineralia*, et *digitalis purpurea* (67), et *aqua gaz acidum carbonicum* continens (68) cum, vel sine

(67) §. LV. 16.

(68) Selterana e. g.

lacte. Corpore jam emaciato ad *decoctum radicis orchidis morionis* (69), *althaeae officinalis* (70), *rasurae cornu cervi elaphi* (71), ad juscula carnea ex gallinis, pedibus vitulinis, limacibus, ranis, testudinibus, confugiendum. *Frigus*, quo febris hectica stipari solet, a *gelatina animali* saepe compescitur. Vires deficientes sustinet *decoctum lichenis islandici*, corticis *cinchonae officinalis*, porro semina *phellandrii aquatici* (72). Hominibus, quorum febrem hecticam magna sensibilitas comitatur, *extractum hyoscyami nigri* (73) optime conducit. Ita *opium*, praesertim illius extractum aquosum, aut connubium cum *tinctura acidi sulphurici aromatica* (74), cujus ope sudores colliquativi saepe miraculi instar compescuntur.

(69) §. LV. 33.

(70) §. LX. 18.

(71) R. Rasurae cornu cervi uncias duas. Coque per dimidiam horam c. s. q. aquae fontis. Colat. librae unius adde syrupi adianthi capillorum veneris unciam unam. D.

(72) R. Seminum phellandrii aquatici drachmas duas: aquae fervidae q. s. Stent in digestione per quartam horae partem. Colaturae unciarum novem adde syrup. corticum aurantiorum. M. D. S. Cap. ter de die vasculum semis.

(73) § LXV. 16.

(74) § LVI. 4.

Balsamicis remediis non nisi in peculiaribus hinc inde casibus hic favemus. Ita *gummi-resinis*, nec non *camphorae.*

V. Fantolini Revisor Archiepisc.

V. Testa Pr. ac R.

Imprimatur.

Bessone pro M. Cancellaria.

INDEX RERUM

QUAE

IN VOL. I. PARTIS I. CONTINENTUR.

AUG. TAUR.
EXCUDEBANT CHIRIO ET MINA.
1821.